*AUTHOR:*

GUENDEL, MARTIN

*TITLE:*

DE CICERONIS POETAE ARTE CAPITA TRIA

*PLACE:*

LIPSIAE

*DATE:*

1907

Master Negative #

92-80514-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Guendel, Martin, 1884-
De Ciceronis poetae arte capita tria; dissertatio ... qvam ... scripsit Martinus Guendel... Lipsiae, Noske, 1907.
81 p. 22½ cm.

Thesis. Leipzig.
Vol. of theses.



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3.26.92
INITIALS mDC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

# DE CICERONIS POETAE ARTE CAPITA TRIA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

**MARTINUS GUENDEL**
DRESDENSIS

LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMVII

RETTVLERVNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

**R. HEINZE** **LIPSIVS**

LIPSIAE D. XVIII. M. IULII MCMVII.

PROCANCELLARIO
**DES COVDRES.**

OSCARIO SCHWAB

AVUNCULO VENERABILI

Poetam epicum Latinum si quis demonstraturus est sermonem aequalis aut prioris poetae imitatum esse, id praeter cetera cognoscat necesse est, quibus artis poeticae normis ei placuerit uti. maximi vero momenti esse censeo leges metricas et omnino hexametri condendi artem, quia poeta, cum contra consuetudinem versus structuram adhibet, non nequisse alio vertere orationem, sed certa de causa noluisse putandus est, aut veterum poesin imitaturus aut sonitum rhythmi verborumve argumento aptare studens aut alia de causa. itaque quoniam mihi proposui disserere de Ciceronis dictione poetica, unde hausta sit quaque nitatur auctoritate, — qua quaestione opus esse ut putarem adductus sum Nordeni quaestionibus ad Vergilii sermonem et artem metricam pertinentibus, quas editioni Aeneidos libri VI addidit, — primum artis hexametri Ciceroniani leges statuere debeo, ratione habita et Arateorum et reliquorum fragmentorum. — priorum quidem quaestionibus ad historiam et artem hexametri condendi pertinentibus cum, ut decuit, usus sim, maxime ducar a Nordeno.

Atque ea quidem, quae adhuc de hexametris Latinis explicata sunt, Guil. Meyero et Eduardo Nordeno imprimis debentur. ille quidem in libello omnibus noto, qui „ad historiam hexametri Graeci et Latini“ inscribitur,[1]) Ciceronis carminum epicorum rationem habuit in omnibus quaestionis metricae partibus; idem in altero libello metrico, quod quasi supplementum prioris exstat, qui est de caesura trochaica hexametri Latini optimi et omnino de caesuris Latinis („über die weibliche Caesur des klassischen lateinischen Hexameters und über lateinische Caesuren überhaupt“)[2]) edocuit Ciceronem operam dedisse ne verbis quattuor vel quinque syllabarum neve quibuslibet monosyllabis versum terminaret (p. 1038); caesuras subsidiarias eum primum adhibuisse cum diligentia et constantia, quibuscunque locis poetae Augustei iis uti solebant (p. 1056 sqq., 1071), perhorruisse eum versum spondiazontem, similia.

In dissertationibus vero ad Ciceronem poetam pertinentibus, quae post Meyerum editae sunt, nihil fere novi de re metrica prolatum est. Gust. Siegius in dissertatione „de Cicerone Germanico Avieno Arati interpretibus“, Halis Sax. a. 1886 edita, p. 14 nu-

---

[1]) in actis acad. lit. Monac. 1884 (inde a p. 979) p. 1024 sqq.
[2]) ibidem, a. 1889, tom. II, p. 228 sqq.

merum exhibet eorum versuum, quibus quinque spondei aut quinque dactyli continentur, quamquam de Arateis tantum agit neque Meyeri quaestionem curat. deinde Joh. Maybaumius in dissertatione „de Cicerone et Germanico Arati interpretibus", Rostochii a. 1889 edita, ad Meyeri quaestiones metricas nonnulla addidit p. 16. commemorat enim Ciceronis diligentiam in legibus de tribus pedibus extremis et in legibus de synaloepha observandis, quamquam alias esse leges cum saeculo suo putat atque cum Nordeno nos, neque post Meyerum colligenda esse censet exempla, quibus legem valere demonstrari possit. tum Ed. Mollius in progr., quod inscr. „Ciceros Aratea, eine Studie über den Wert des Übertragens aus fremden Sprachen", in urbe Schlettstadt edito a. 1891, enumerat, quibus proprietatibus Ciceronis hexametri notabiles sint p. 15: in vv. 75 quattuor primos pedes esse spondeos, in tribus vv. unum spondeum inveniri, s-literam octies abici, caesuram trochaicam in centenis versibus Arateorum quinquies occurrere, similia; neque vero historiae hexametri neque ipsius Ciceronis progressus ratio habetur.

Post hos libellos Ed. Nordenus l. l. de Ciceronis versibus agit, quippe qui magni sint momenti ad historiam hexametri Latini ab Ennio usque ad Vergilium explanandam, — quamquam singula non semper persequitur. cuius quaestionum summam nunc proferre opus non est.

## Caput primum.

# De Ciceronis arte hexametri condendi.

### 1. de rhythmi delectu.

Nordenus (p. 409 sq.) Ennium edocet praeceptum poeticum, quo lectis rhythmi coloribus τὸ ἦθος sententiae depingatur, iam cognitum habere et consequi; item Lucretium et Ciceronem, quamquam apud eos pro carminum genere didactico praeceptum non nimis appareat. unum vir doctus exemplum affert ex Ciceronis Arateis desumptum, quo rhythmum respondere ad praeceptum illud efficiatur inde, quod versus cum loco quodam Vergiliano congruat (p. 413 sq.): v. 132 „obvertunt navem magno cum pondere nautae".

Ciceronem non magni fecisse vel facere potuisse praeceptum, eo demonstratur, quod in 75 versibus uno dactylo insignibus, quattor (vel quinque) spondeis, quindecim tantum inveniuntur, quibus sententiam videmus rhythmicis coloribus depingi. aliter vero rem se habere confitendum est in posterioribus Ciceronis poematibus, quorum in reliquiis a quattuor spondeis oriuntur hexametri decem neque difficile est coloribus depingendi consilium agnoscere omnibus locis praeter F. 3.6, 3.62, 29.3.[1])

Loco allato

131 sqq. „sicut, cum coeptant tutos contingere portus,
obvertunt navem magno cum pondere nautae",

cum Vergilianis locis comparato, ut dixi, colligitur, ut labores navis obvertendae rhythmo gravi depingantur et omnino rei navalis molestiae. iam versus 127 huc pertinere videtur:

„conversam [2]) prae se portans cum lumine puppim"
sc. Argo.

deinde ut navis, ita currus flectendi labor rhythmo gravi et quasi rotas sufflaminanti oculis subicitur:

---

[1]) In Ciceronis fragmentis poeticis citandis utor Baehrentis editionibus (poet. Lat. min. I, frgm. poet. Rom.); Arateorum fragmentum versuum 480 cum laudabo, signum non praescribam, reliqua Arateorum fragmenta sic afferam: Ph. significabit = Phaenom., Pr. = Prognost; litera F. praescripta posterioris poeseos Ciceronianae fragmenta agnoscentur.

[2]) ita Hyginus, „convexam" male codd.

61 „brumali flectens contorquet tempore currum“ sc. Titan,

264 „in quo consistens convertit[1]) curriculum Sol“.

tum belli diuturni graves molestias et sollicitudinem illustrant spondei:

F. 22. 27 „tot nos ad Troiam belli exauclabimus annos“.

porro hominum condicionem miseram, praesertim cum de signis iniquis aut de leto agitur, rhythmus congrua imagine depingit:

90 sq. „sed grave maestis | ostendit nautis perturbans aequora signum“,

F. 3. 20 „quid vero Phoebi fax, tristis nuntia belli . .“,

F. 3. 17 „quod ferme dirum in tempus cecidere Latinae“,

147 (de amni agitur, quem sorores Phaetontis lacrimis sparserunt)

„sparserunt, letum maerenti voce canentes“,

F. 22. 5 „qui non funestis liquerunt lumina fatis“.

versus enim, quibus de leto et aliis rebus tristibus agitur, gravi insignes esse rhythmo non alienum est, cf. Ennii a. 398 sq. „occumbunt multi letum ferroque lapique | aut intra muros aut extra praecipe casu“, Vergilii Aen. VI. 868 sq. „o gnate ingentem luctum ne quaere tuorum. | ostendent terris hunc tantum fata . .“, ib. XI. 53 „infelix, nati funus crudele videbis“ (cf. Nord. p. 413) deinde similiter rhythmi colores res ipsas optime depingunt hoc loco:

198 „sin gravis inciderit vehementi flamine ventus.
(— ◡ ◡ ¦ — ◡ ◡ | — ◡ ◡ | — — | — ◡ ◡ ¦ — ◡)
perfringet celsos defixo robore malos.“
(— — | — — | — — | — — | — ◡ ◡ | — —)

primo versu ventum audimus turbine rapido furentem, omnia fluitantia et iactata videmus, altero autem gravi fragore gravis corruit malus.

Tum rei gravitatem et maiestatem poetae gravibus spondeis exprimere amant, Cicero quidem in Arateis:

v. 38 „at magnum nomen signi clarumque vocatur | propterea . .“,

469 „et magnam antiquo depellit nomine navem“ (Argo significatur),

et in carmine de consulatu, cum de sacrificiis agat:

F. 3. 14 „lustrasti et laeto mactasti lacte Latinas“,

(cf. etiam F. 22. 22 „tum Calchas haec est fidenti voce locutus“ e. qu. seq.), vel cum Romam esse conservatam patris patriae virtute dicat:

F. 11 „o fortunatam natam me consule Romam“,

---

[1]) ita cod. Dresd.



vel cum loquatur de clara sapientia sectatorum Platonis philosophi illustris:

F. 3. 74 „fuderunt claras fecundi pectoris artis“.

eadem et similia apud alios quoque poetas epicos Latinos, Vergilium imprimis, inveniri cum notum sit, labore supersedeo locorum afferendorum.

Denique quod pertinet ad reliquos versus quattuor (aut quinque) spondeis insignes, quibus τὸ ἦθος sententiae repraesentari videtur, omnes propter notionem magnitudinis spatiique largi rhythmum gravem exhibent, ut

Ph. 7. 3 „et l a t e prima confestim a nocte videtur“,

26 „in caelum victor m a g n o sub culmine portat“,

242 sq. „tum m a g n o s orbis m a g n o cum lumine latos vinctos inter se et nodis caelestibus aptos“,

(cf. 9, 23, 415, 239, 248, 305, 306, 314, 334).

Sed tamen numerus versuum unum modo dactylum exhibentium, quibus τὸ ἦθος sententiae illustrari rhythmo dicere non possumus, permagnus est. quo accedit, quod saepe versus, quorum ἦθος minime est grave, a quattuor spondeis oriuntur, ita ut rhythmus repugnet sententiae, et quod versus, quorum quattuor primi pedes tribus spondeis, uno dactylo constant, undequadrageni de centenis versibus inveniuntur. ei, qui tres pedes spondeos exhibent, — quinti enim et sexti pedis nunc ratio non habetur, — tum maxime rhythmo gravi insignes sunt, cum spondei continuantur neque dactylus iis intervenit; qua condicione dimidia fere pars est omnium versuum, in quibus tres spondei occurrunt. contra versus quattuor aut quinque dactylis constantes plus duodeni de centenis in Arateis non exstant. quare certum est, quod ad Aratea pertineat, Ciceronis hexametros ita esse constructos, ut pedes spondei praevaleant. contra equidem mihi persuasi eos, quos posteriore aetate composuit, alias leges sequi. quattuor pedes primi hic quidem decies tantummodo spondei occurrunt, i. e. de centenis versibus seni: quibus fere omnibus locis rhythmi coloribus res ipsae quasi depinguntur. e contrario versus dactylici (quattuor aut quinque dactylos exhibentes) saepius occurrunt: plus terni deni de centenis versibus. quamquam numerus versuum duobus dactylis praeditorum auctus est. tantopere poeta versus gravissimos monodactylicos evitare studuit. tabellam addidi, qua oculis subicitur Ciceronem progressum esse in evitandis versibus nimis gravibus.

| I dactyl. | II dactyl. | III dactyl. | IV et V dactyl. | |
|---|---|---|---|---|
| 13 % | 39 % | 36 % | 12 % | Aratea |
| 6 % | 44,5 % | 36 % | 13,5 % | cetera fragmenta. |

Quid vero de versibus quattuor aut quinque dactylos con-

tinentibus putandum est? supra dixi v. 198 rhythmo accelerato depingi rapidam venti vim; similiter res se habet his versibus:

13 „et magis horrisonis Aquilonis tangitur alis“,
141 „pergit et usque sitam validas Aquilonis ad auras“.

versus Homeriaci (Od. *E* 295) *σὺν δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἔπεσον Ζέφυρός τε δυσαὴς κ. τ. λ.* memoriam redintegrare vix opus est, cuius verba cum Vergilius imitaretur, rhythmum ex omni parte adaequare non poterat, quamvis studeret, in Aen. I. 85 „una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis | Africus . .“. deinde sicut vento effecta, ita quaevis quassatio copia dactylorum depingitur:

Ph. 23.3 „magnus Leo tremulam quatiens e corpore flammam“,
Ph. 32.4 „Huic Equus ille iubam quatiens fulgore micanti“,
51 „sed mediocre iacit quatiens e corpore lumen“,
similiter 112 „totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor“,

atque in versu F. 22.15 „nona super tremulo genetrix clangore volabat“ rhythmo non male illustratur avis trepide circumvolitans pullos; fortasse etiam

v. 58 sq. „quam gelidum valido de pectore frigus anhelans
corpore semifero magno Capricornus in orbe“

tremuli frigoris depingendi causa rhythmo dactylico poeta usus est. tum v. Ph. 25 „navibus absumptis fluitantia quaerere aplustra“ dactyli ideo adhiberi videntur, quod fluitare dicuntur aplustra; et similiter censendum est de mari tumescenti rhythmi congrua imagine depicto:

Pr. 3.2 „inflatum mare cum subito penitusque tumescit“,

quo in versu et consonantibus, quos tenues appellamus (c t p), et vocali u crebro occurrenti sonitum imitatur Cicero, quae imitatio Prognosticorum, quamvis exigua sint fragmenta, propria est. deinde, quo loco de sidere leporis et canis agit, Ciceronem certum est rhythmi genere *τὸ ἦθος* rerum imitari, fugam dico leporis celeri cursu canem fugientis vv. 121—125:

„. . iacit levipes Lepus; hic fugit ictus
horrificos metuens rostri tremebundus acuti.
nam canis infesto sequitur vestigia cursu
praecipitantem agitans, orientem denique ponto,[1]
curriculum nunquam defesso corpore sedans.“

quos ad versus hi quoque accedunt:

276 „fulgentem Leporem; inde pedes Canis et simul ...“,
377 sq. „et Lepus et Procyon, qui sese fervidus infert
ante Canem, inde Canis vestigia prima videntur“,
463 „(abditur Orion); obit et Lepus abditus umbra“.

---

[1]) codd. „oriens iam denique paulo“; sequor Baehrentem.



similiter equi celeritatem, fulicis fugam, aquilae volatum rhythmo concitato illustrat poeta:

474 „tum pedibus simul et supera cervice iubata
cedit Equus fugiens“,
Pr. 4.1 „cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti“ . .
F. 19.1 „hic Jovis altisoni subito pinnata satelles“,

fortasse etiam noctem celeriter cedentem:

76 „iam prope praecipitante licebit visere nocte.“

tum non temere rhythmum adhibuit v. F. 3.64 sq., cum alterum versum, quo agitur de periculo urbi Romae interitum minanti, spondeis gravibus, alterum, quo vigilantia et navitate Allobrogum Romam esse servatam laudatur, dactylis laetis conderet hoc modo:

„et[1]) clades patriae flamma ferroque parata
vocibus Allobrogum patribus populoque patebat“;

nam de sua ipsius quoque vigilantia Tullius rhythmo non minus concitato agit

F. 3.77: „tu tamen anxiferas curas requiete relaxans,
quod patriae vacat, his studiis nobisque sacrasti“.

similiter rhythmus gravis cum levi mutatur consulto v. F. 3.71 sqq.:

„haec adeo penitus cura videre sagaci,
inque Academia umbrifera nitidoque Lyceo
fuderunt claras fecundi pectoris artis“;

hic enim versus secundi rhythmo laetum *ἦθος* academiae amoenae et lycei, tertii versus spondeis venerabilia et illustria studia cum gravitate describuntur. porro sicut antea dictum est signum grave et infaustum — maestis nautis datum — gravibus depingi spondeis, ita fausto omini laetum genus dactylicum accommodatur F. 19.11 sq.:

„faustaque signa suae laudis reditusque notavit,
partibus intonuit caeli pater ipse sinistris“,

quos versus insequitur cum gravitate: „sic aquilae clarum firmavit Juppiter omen“.

Quibus in quaestionibus eos imprimis versus in medium mihi proferendos esse putavi, qui tot dactylos exhibeant, ut, qui veterum praecepta illa novit, quae Nordenus l. s. s. explicavit, per se speret *ἦθος* sententiae non discrepare cum rhythmo accelerato. quid vero? ut in Arateis, ita in ceteris poeseos Ciceronianae reliquiis non tertia pars omnium versuum dactylos quattuor aut quinque continentium *ἤθους* sententiae depingendi gratia rhythmum delectum esse ostendit. quare quod supra dixi numerum versuum dactylicorum posteriore aetate poetam auxisse, nihil de hoc numero adaucto detrahendum est, sed iure dixi minus placuisse Ciceroni aetatem adepto hexametros spondeis plenos, quam adulescenti:

---

[1]) codd. „at“.

Arateorum versus a quattuor spondeis graviter orti raro adhibentur, iis tantummodo locis exstant, quibus sententiae ἦθος quasi adhortatur poetam; versibus dactylicis poeta utitur interdum depingendi gratia, interdum sine ulla causa, nisi quod evitare studuit rhythmum graviorem. sed quod illos maiore studio evitavit, quam hos introduxit, factum est, ut versus, qui tres, quattuor, quinque habeant dactylos, si minus superent eos, quibus unus duove dactyli contineantur, certe adaequent.

Ergo apparuit Ciceronem novisse artis praecepta illa ad rhythmi ἦθος pertinentia; initio eius hexametrum abundare spondeis, postea versus graviores quam maxime evitari neque adhiberi, nisi ad ἦθος rerum depingendum; dactylorum frequentiam adaugeri, quamquam versus duobus dactylis praediti dimidiam fere partem omnium obtineant, — si addantur versus monodactylici rhythmico effectu carentes. quod cave ne nullius momenti esse putes; nam Ennius quoque, hexametri Latini auctor, neque ignoravit praecepta illa, neque constanter secutus est; apud eum quoque spondei pedes praevalere videntur; Cicero autem Ennium sequitur neque superat, nisi aetate posteriore. quare, cum aliis de causis Ciceronem (in Arateis praesertim) ex Ennio haurire, Ennii memorem se praestare suspicabimur, non erit, cur putemus ea, quae Cicero hauserit ex Ennio, propter rhythmum commutata esse, sed, sive discrepabit rhythmus cum sententia, sive congruet, iure poterimus dicere Ciceronem sequi Ennium, quocunque loco aliis indiciis ad eam sententiam adducemur: verba Ennii magis poterit imitari, quam is, qui verebitur rhythmum cum sententia discrepantem facere. quamquam exstant, quibus impediatur Cicero, ne ad verbum imitetur veteres poetas, neque vero pertinent ad rhythmi delectum. praeterea Ennium quoque, quantuscunque est numerus versuum a quattuor dactylis ortorum (Mollius [1]) in reliquiis annalium quinos denos de centenis versibus numerat) dactylos adhibere quam plurimos studuisse Scutschius [2]) edocet eo usus argumento, quod s-literam brevium syllabarum ante verba, quae a consonantibus oriuntur, abiecit, verba dactylica „corpore, lumine, agmine, tempore, corpora etc.“ et infinitivos in dactylum exeuntes adhibere amavit.

## 2. De sonorum imitatione.

Hactenus de rhythmo spondaico et dactylico, nunc transeamus ad versus, quibus literarum sono effectus quidam quaeritur. de veterum doctrina et omnino de hac re rursus conferendae sunt Nordeni quaestiones (p. 404—408). duo exstant genera eorum, quae huc pertinent; nam aut sono literarum poeta id imitatur,

[1]) l. s. s. p. 15.

[2]) in Wissowae encyclopaedia, sub voce „Ennius“ inde a p. 2589, cf. p. 2623.



quod audiremus, si rebus agendis, quae versu celebrantur, interessemus, aut alliteratione, quam dicimus, utitur. ad prioris generis quaestionem nunc nos vertamus. iam supra occasio data est exempli ex Prognosticorum fragmentis afferendi. (cf. p. 8) in Phaenomenis cum raro res gerantur et praevaleant praecepta astronomica, ita ut omnis actio ponatur in stellis exorientibus et obeuntibus et in caelo currentibus, non mirum est in hac imitatione sonitus Ciceronem neque auctorem hexametri Latini adaequare, neque poetas epicos posteriores. hoc unum oculos ferit, quod Cicero, cum de vento agitur, fremitum imitari videtur literis v et au crebrius adhibitis, quamquam dixerit quis Ciceronem alliteratione tantummodo uti satis trita:

67 „at validis aequor pulsabit viribus Auster“,
100 sq. . . . „simul inter flamina venti,
viribus erumpit qua summi spiritus Austri“,
195 „tum validis fugito devitans viribus Austrum“;

cf. praeterea 280, 261, 253, 141 sq., 206, imprimis versum 70, quem qui insequitur, literis u et m undarum murmur poeta imitatur:

„nec vi signorum cedunt nec flamina vitant,
nec metuunt canos minitanti murmure fluctus“.

deinde poeta videtur literis i et s eum sonitum efficere conari, quem dedit insula disiecta, hoc modo:

427 „insula discessit disiectaque saxa revellens“,

cum versu insequenti haud scio an perculsum imitetur litera u et consonis tenuibus, quae appellantur:

„perculit et caecas lustravit luce lacunas“.

pluris vero, ut dixi, artem sonorum depingendorum in Prognosticis fecit, quibus de pecudibus agitur omne genus et de avibus, quarum ad voces et clangores animum intendere opus sit. nullum puto argumentum magis fuisse idoneum, in quo poeta artis imitandorum sonorum conscius animum exercere posset. atque fulicam audimus cantantem „o“ et „u“, aliter acredulam fritinnientem:

Pr. 4.3 „haud modicos tremulo fundens e gutture voces“,
Pr. 6.2 „acredula vocibus instat
vocibus instat et adsiduas iacit ore querellas“.

ipsas hercle coaxare ranas putaveris „quo, que, quā-i“ et „vŏ vı dŭl lŭm“:

Pr. 5.1 „vos quoque signa videtis aquai dulcis alumnae,
cu̲m clāmore parātis inānis fū̲ndere vo̲ces,
ab̄su̲rdo̲que so̲no̲ fo̲ntis et stāgna cietīs“.

quod vero singulis verbis sonitum aliquem imitari potest poeta, — exempli gratia affero ex Aeneide „stridorque rudentum“ —, hoc artis quidem praeceptis respondet, ut Nordenus explicat p. 408, sed talia quaerere apud Ciceronem haud meum esse putaverim,

quia exstant per se verba onomatopoetica, quae dicuntur. haec autem adhiberi cum studio, praesertim vigentibus illis artis praeceptis, apparet; quare ne Cicero quidem talia sprevit, cf. vocem stridoris in Pr. 3.5 et murmuris v. 71.

Imitationem illam, quam Ciceroni quoque notam fuisse vidimus, apud Ennium (et poetas tragicos) cum ostentatione adhiberi constat, Cicero eam se recepisse sibi conscius erat: cernitur interdum in Phaenomenis, saepe in Prognosticis saepe data occasione. deinde poetae neoterici spernebant eam, Vergilius adhibuit neque modum excessit. quod ad fragmenta poeseos Ciceronianae posterioris pertinet, parvi aestimatur imitatio, fortasse non sine auctoritate poetarum neotericorum. attamen exstant loci, quibus veterem morem sequatur neque cum nimia ostentatione; nam dixerit quis sonum, quo statua Nattae corruit, literis e ae a exprimi hoc modo:

F. 3. 39 sq. „tum species ex aere vetus venerataque Nattae
concidit elapsaeque vetustae momine leges“;

et initio fragmenti carminis de Mario magna s-literarum multitudine strepitum alarum significari:

„hic Iovis altisoni subito pinnata satelles
arboris e trunco serpentis saucia morsu
subrigit, ipsa feris transfigens unguibus anguem.“

plura non inveni. itaque iam dicere possum Ciceronem cognitam habuisse artem sono literarum imitandi eius, quod audiremus, si rei, de qua agitur, gerendae interessemus, recepisse vero ab Ennio; primo cum ea uti solitus esset data occasione, postea cautius adhibuisse exornationem a neotericis spretam.

## 3. De alliteratione.

Quibus quaestionibus absolutis ad alliterationem transeam pertinentem magis ad formam externam, quam argumentum interius. nam eiusdem versus verba duo aut plura ab eadem litera orta inter se iunguntur artius, aut vocis eius, quae maximi ad sententiam momenti est, litera prima iteratur et quasi per totum versum resonat. utriusque generis ex magno numero unum afferam exemplum:

F. 3.64 „et clades patriae flamma ferroque parata
vocibus Allobrogum patribus populique patebat“;

52 „haec dextram Cephei dextro pede pellere palmam | gestit“;

saepe non apparet, quae notio alliteratione efferatur (cf. Ph. 3.1 sq. „cetera labuntur celeri caelestia motu | cum caeloque simul noctesque diesque feruntur“), quo fit, ut alliteratio magis magisque evadat exornatio externa. quare non mirum est poetas neotericos



eam contemptam habuisse et repudiavisse. Ennium vero notum est omnia alliterationis genera adhibuisse, quam vulgo putatur sumpsisse e prisca poesi Romanorum; primos eam perhorruisse neotericos modo dixi; Vergilius rursum ea usus modum non excessit; Cicero totus pendet ex Ennio. quanti exornationem fecerit, optime demonstrabitur, si respiciemus, quomodo poetas Graecos interpretatus sit.

In Arati v. 167 „*παρ' ποσσὶ δ' Ἡνιόχου κεραὸν πεπτηότα Ταῦρον* | *μαίεσθαι*“ convertit *κεραὸν ταῦρον* verbis „corniger taurus“, *πεπτηότα* participio „conixus“, quod quamquam non respondet ad vocabulum Graecum, tamen alliteratione iungitur cum voce „corniger“; dein, quae versum explent ita, ut ad participium quadrent, eandem ostendunt alliterationem: „corniger est valido conixus corpore Taurus.“ similiter res se habet Ph. 32.8, quo in versu „contortis cum cornibus“ apposita sunt ad verba Arati. aliud exemplum praebet v. 218 „Centaurum levi contingit lubrica cauda“, quo poeta interpretatur Arati v. 447 „*οὐρὴ δὲ κρέμαται ὑπὲρ αὐτοῦ Κενταυροῖο*“, nam hic quoque, quae verba convertit et quae apposuit, alliteratione insignia sunt. quodsi agitur de uno verbo addito, aut epitheton iam in veteri arte poetica cum substantivo iungitur, aut ipse adiecit Cicero vocem inanem alliteratione, cum potuit, observata; exempla afferam e multis pauca: 103 „tenet truculenti .. Tauri“, „truculenti“ ad Arati verborum contextum additum est, item levipes v. 121 „levipes Lepus“; ex veteribus hausit 345 „caeca caligine nubes“ (= Ar. 563 „.. *εἰ νεφέεσσι μέλαιναι* ..“), cf. 478 = Ar. 698, Pr. 1.2 = Ar. 865. itaque quandocunque Cicero aut aliquid apposuit ad Aratum, aut commutavit, propter alliterationem non poterimus dicere eum haurire e veteribus, nisi cum viderimus eadem verba Ennii propria fuisse, — vel, quod infra demonstrabitur, eius imitatorum —, aut cum archaismus, quem appellamus, sermonis, numerorum, similium rerum, invenietur.

Quod ad frequentiam alliterationis pertinet, Cicero ea utitur quam saepissime. cum in Arateis carminibus convertendis non nimis severe versibus Graecis tenetur, vix invenias versum alliteratione carentem; cf. versus 223—25, quibus libere interpretatur Arati vv. 451—53:

„haec sunt quae visens nocturno tempore signa
aeternumque volens mundi pernoscere motum
legitimo cernes caelum lustrantia cursu.“

Ceterum non dimidia pars versuum, cum in Arateis, tum in ceteris fragmentis, nulla alliteratione exornata est.

Deinde vero commemorandum est extrema verba versus plerumque alliteratione inter se connecti, ita quidem, ut formulae speciem praebeant; cf. „mirabile monstrum, vestigia vitans, lumina liquit, lumine lucent, pellere palmam, ponere proras, sanctusque senatus“, alia plurima. eadem condicione esse versus Ennianos notum est, cf. „lumina lucent (a. 156), dia dearum, voce videtur,

voce vocabam (a. 50), repente recessit, caerula caeli, permensa parumper, sanctoque senatu (a. 238)" —, alia in annalium reliquiis quinquagies fere occurrunt. itaque Ciceronem in hoc quidem Ennium consequi certum est neque pluribus demonstrare meum esse puto.

Iam apparuit Ciceronem in omnia carmina alliterationem Ennianam recepisse, occurrere eam in dimidia parte versuum aut gravius aut levius adhibitam, non raro carentem interno effectu (aut anaphorico aut iungenti), saepe repositam esse in extremis versus vocibus. atque efficitur ex his, ut non cunctam alliterationem ex Ennio sumptam esse putare debeamus, sed ut Cicero veterum vestigia presserit cum in omni alliteratione, tum in ea, qua extrema versus verba iunguntur. id enim cave ne pro nihilo putes Ciceronis aetate alliterationem iam redoluisse vetustatem, quam evitandam sibi esse neoterici putaverint; cum vero antiquum et vetustum aliquid poeta volet imitari, ita se optime imitaturum esse putabit, ut, quantum per temporum voluntatem recti generis poterit, iis teneatur, quae illi scripsere, cf. Callimachi hymnos, imitationes Homeri Vergilianas, similia.

## 4. De similiter cadenti.

Infitias iri non potest similiter atque per alliterationem soni effectum per *ὁμοιοτέλευτον* fieri, quod Romani similiter cadens appellabant, i. e. per verba iisdem syllabis exeuntia, quae in eodem versu continuantur. quare figuram hoc loco ponere mihi placuit. primum quod ad veterum praecepta pertinet, Nordeni quaestionem laudo (p. 396), unde patet cum alliteratione comparari posse id tantum similiter cadens, quod exornationis gratia consulto adhibetur, ut in Ciceronis versu famoso „o fortunatam natam me consule Romam". pluris vero momenti esse, quam demonstrare Ciceronem exornationis praecepta novisse, quod versu allato iam demonstratur, id quaerere puto, utrum evitaverit vitiosum genus homoeoteleuti necne (h. e. verba similiter exeuntia, quae quamvis in versu continuata sint, tamen affectu rhetorico careant). atque primum statuendum est eum non evitare bina verba iisdem syllabis finire, quandocunque de syllabis levioribus agitur: -ă (cf. „fervida lumină" Ph. 9. 3, „vitalia lumina" F. 3. 24), -ĕ (cf. 76 „prope praecipitante licebit visere nocte"), -ĭs, ŭs (170 „nominis omnis", 463 „lepus abditus umbra"). quod homoeoteleuton apparet neque molestum esse neque evitari debuisse. similiter res se habet, cum syllabarum, quae iisdem literis scribuntur, altera brevis est, altera producta (cf. 6 „quiă formā literă"), 13 „magĭs horrisonīs Aquilonĭs", F. 3. 63 „sceptră columnā", F. 3. 4 „penitŭs sensūs", F. 3.74 „pectorĭs artīs", F. 9 „sibĭ dedecorī", ne afferam „tē consulĕ" et similia. haec omnia in medium proferenda non sunt, si



quaeretur, utrum similiter cadentis genus vitiosum Cicero evitaverit necne, aut quousque et quibus subsidiis evitaverit.

Primum non nimis molestum similiter cadens esse videtur, cum syllabarum aequalium altera in sublationem, altera in positionem versus cadit; quo pertinent ex Arateis haec: Ph. 19 „tenuí conténti vivere cultu", 305 „in caeló divíno numine flexi", 460, 370 „de terrís vis est . ." (171 piscém quem 184, 96); ex reliquis vero Ciceronianae poeseos nihil eiusmodi repperi, nisi coniunctionem „tum, cum" (F. 3. 45). quare suspicor Ciceronem iis locis, quibus similiter cadens nobis minus molestum esse videtur, omnino sibi conscium non fuisse se molestiam illam mitigare. nam vice versa Ciceronem videmus in ipsis carminibus posterioribus magno cum studio vitium illud effugisse; nam dirimit verba similiter exeuntia:

aut cum versus finem interponat, cf. F. 22. 11 sq. „draconem | terribilem" (F. 3. 11 sq. „motus | concursus-que)", 283 sq., 276 sq.

aut membri aut incisi finem (cf. F. 22. 14 „corripuit pullos; quos quom) F. 22. 28 „quae decumo cadet, et poena satiabit Achivos",

aut cum caesuram maximam interponat, cf. F. 53 „terrigenam herbigradam || domiportam . ."

Deinde si minus tollitur, tamen aliqua ex parte minuitur molestia similiter cadentis, si alterum verbum cum enclitica -que iungitur; atque acclinatur -que ad verbum secundum: Ph. 15. 5 „pedibus pectusque", Ph. 20. 3 „vinctum domitumque (iuvencum)", 35 „Alcyone Meropeque", 120 „propter supterque pedes", 156 „fusae sparsaeque", F. 1. 2 „solis noctisque", F. 3. 6 „motus cursusque", F. 3. 53 „stragem horribilem caedemque"; cum vero ad primum verbum applicatur, in hac appendice „que" id positum esse apparet, quo verba similiter cadentia dirimuntur; cf. Ph. 20. 3 „domitum-que iuvencum", 330 „inflexus-que genus, F. 3. 40 alibi.

Sed, cum his quidem locis mitigetur vitium similiter cadentis, alii versus exstant, quibus ex omni parte tollitur; quod efficitur duobus subsidiis adhibitis, nam

aut ordine verborum artificioso verba similiter exeuntia separantur, cf. F. 3. 9 „certo lapsu spatioque" (non „certo spatio lapsuque"), 308 „hi motu cuncti" (non „hi cuncti motu") 94, 159, 412;

aut per synaloephen vitium tollitur; hoc in Arateis, -si ommittuntur syllabae -ă, -ĕ, -octies occurrit: Ph. 16. 2 „quasi temoni adiunctam", Ph. 26. 3 „laevum umerum", 22 „qua summa ab . .", 135 „a prora ad . ." (145 „namque etiam Eridanum"), 154 „spina evalidā", 276 „fulgentem Leporem inde . .", 407 „in caelum totum exoriens"; multo saepius in ceteris fragmentis numero exiguis;

quinque exempla inveniuntur in F. 3 versibus 78, in ceteris sex: F. 3.1 „principio aetherio“, ib. 11 „primum astrorum“, ib. 51 „tum legum exitium“, ib. 53 „stragem horribilem“, ib. 73 „Academia umbrifera“; F. 7.3 „retine atque auge“, F. 16.2 „conversum expressumque“, F. 22.18 „qui luci ediderat“, F. 28.4 „firmo animo“, F. 47.3 „finiri ipsi-que tibique“, F. 53 „terrigenam herbigradam“. summi esse momenti arbitror Ciceronem in hexametris, quos adulescens composuit, multo rarius his subsidiis ad evitandam molestiam illam usum esse, quam postea; verum, ut appareat eum consulto evitasse, disquirendum est, quibus condicionibus bina verba iisdem syllabis terminare in illis posterioribus versibus non dubitaverit.

Primum particulas „tum cum“ supra commemoravi; in v. F. 3.31 „perpetuis signis clarisque“ figura affectu rhetorico haud careat, qua de causa exornatio habenda est: nam, quod Nordenus docet p. 398, agitur de attributo, quo substantivi qualitas summa et generalis continetur. neque, quin versus F. 3.50 „ingentem cladem pestemque“ eadem sit condicione, dubium est, qui rhythmo quoque gravi et flosculis antiquis insignis est, comparatur enim cum v. F. 3.53 „stragem horribilem caedemque vereri“ et cum Ennianis versibus adiectivum „ingens“ similiter ac substantivum cadens exhibentibus. porro v. F. 3.57 ὁμοιοτέλευτον supra diximus aliqua ex parte dissimulatum esse „populus sanctusque senatus“, sed infra demonstrabitur dictionem adhiberi consulto priscam. deinde vv. F. 3.77 sq. „tu tamen anxiferas curas requiete relaxans . . . his studiis nobis-que sacrasti“ eadem de causa similiter cadens poeta ostentat, atque versu F. 3.31: neque quemquam affectus effugit, qui maxima cum ostentatione gignitur illo versu F. 11 „o fortunatam natam me consule Romam“. F. 49 quoque eodem pertinet „consiliis nostris laus est attonsa Laconum“, cum in adiectivo „nostris“ summa sententiae ponatur. itaque in hexametris Ciceronianis, praeter Arateorum, duo tantum loci restant, quibus vitiosum similiter cadens putandum est, alter versus F. 16.3 „nobis sedatis“ et F. 25 „his dextris fulgoribus edit“. tamen apparere puto Ciceronem in posterioribus hexametris condendis praecepta illa ad vitium et virtutem similiter cadentis pertinentia novisse et diligenter observasse ideoque Ennium multo et Lucretium superavisse.

Sed in Arateis ante Lucretii carmen scriptis quomodo res se habet? rursus disquirendum est, utrum verba similiter exeuntia, praeter illa leviora, putemus vitiosa an exornantia. atque exornatio videtur his locis:

63 „nam non l o n g i n q u u m spatium labere diurnum“,
153 „hac u n a stella nectuntur . .“,



187 „arcturo m a g n u m spatium . . dedit . .“,
313 „et q u a n t o s radios iacimus de lumine nostro“,

fortasse etiam 286 „t a n t u s quantus erit . . lacteus orbis“. interdum attributum, quo qualitas summa, quam dixi, continetur, non eadem syllaba cadit ac substantivum, sed eadem atque alia vox; neque vero hic effectus abest, cf. 59 „corpore semifero m a g n o Capricornus in orbe“. multo hunc numerum superat copia locorum, quibus similiter cadens secundum praecepta rhetorum putabatur vitiosum, cf.

Ph. 15.3 mediúm virúm,
43 Mercuriús parvús manibús,
208 qua sesé claré,
258 pedés duplicés,
280 clarisonís aurís Aquilonis,
383 summám caudám,

Ph. 23.1 natós geminós,
110 veró totó,
212 nemó certó,
266 totús mediús,
296 aequó spatió,
398 nam caúdam,

Ph. 29 stellás Hyadás
115 suspensós animós,
274 gelidúm rivúm,
310 implexús tribus orbibus unus,
406 secúm mediúm,

[Pr. 7.1, 306 (vide supra)], 256 „hunc soerá laevá Perseus umeroque sinistro“, qui versus simillimus est ei, quem ex Horatio (sat. II. 5.86) Nordenus l. s. s. affert. en loci viginti! huc accedunt Arateorum versus. in quibus vitium verborum similiter cadentium aut rhythmi accentu paulum minuitur (cf. píscem quém, de terrís vis est, cetera) aut particula que adiecta (pedibus pectusque). ergo tantum abest, ut Cicero iam in Arateis condendis studuerit similiter cadens non adhibere, nisi si affectus oratorius sententia dignus erat, ut paene omnino operam evitandi non dedisse videatur, sed eadem esse condicione, qua Ennius et Lucretius. posterioribus autem temporibus Cicero magis tenetur illis rhetorum praeceptis atque superat et Ennium et Lucretium, evitat enim per vitium continuare verba eisdem syllabis exeuntia, nisi laudare videtur formulas veteris poeseos proprias (cf. populus sanctusque senatus, similia).

### 5. De caesuris hexametri.

Quibus poeta utatur hexametri caesuris, summi est momenti, ut cognoscatur, quae sit eius ars poetica. de praeceptis ad caesuras pertinentibus, cum Birtii[1]) et Mülleri,[2]) tum Guil. Meyeri libelli s. l. conferendi sunt, qui quem locum Cicero in historia hexametri Latini obtinuerit, copiose exposuit; tamen Nordeni quaestionibus (p. 415 sqq.) ad Vergilii artem metricam pertinentibus incitabar, ut

[1]) „ad historiam hexametri Latini symbola“. Bonn 1876.
[2]) Luc. Mülleri „de re metrica poet Lat.“ ed. altera Petropoli 1894.

ipse leges hexametri metricas, quibus Cicero usus est, disquirerem, quo facto invenirem, quatenus Ciceronem veterum poetarum, Ennii imprimis, dictionem imitari merito possem suspicari.

### a) De caesura penthemimeri.

Primum inter omnes constat inde a Ciceronis Arateis caesuram penthemimeren (in III pede) non fere inveniri nisi adminiculatam aut hephthemimeri (in IV pede) aut diaeresi bucolica (post IV pedem). versus quidem antiqui exemplum vel hoc afferri potest:

Enn. a. 221 „Appius indixit ‖ Carthaginiensibus bellum“.
vel ib. 457 „Juppiter hic risit ‖ tempestatesque serenae“,

tales versus inter Ciceronis carminum reliquias non inveniuntur, nisi forte putamus quarti pedis incisionem abesse in versibus, qualis est Ph. 10.2 „ortus ubi atque obitus ‖ partem admiscentur in unam“. quamquam non exstat qui neget quartum pedem caesura subsidiaria dirimi, tamen quo loco semiseptenaria incidat, viri docti dissentiunt. nam Lucianus Müller ut in prima,[1] ita in altera editione l. l. p. 199 edocuit verborum compositorum priorem partem, si constet praepositione vel „in“ negativo, divulsam a sequente proprii instar haberi vocabuli, ita ut caesura non verbo finito, sed praepositione vel in negativo declaretur (atque exempla affert Horatii a. p. 87, carm. II, 12.25). quod fieri posse negavit Guil. Meyer l. l. p. 1046 sq.; secutus enim Lachmannum (ad Lucr. VI, 1076) defendit vocabuli fine incisionem effici, etiamsi syllaba finalis acuta elidatur; fieri non posse, ut versus illi tractentur, tamquam vocalium concurrentium prior omnino non exstet. Meyerum rursus sequitur Nordenus[2]) ac contra Müllerum eosque, qui ab eo stant, negat partem compositorum priorem divelli posse, quae praepositione monosyllaba vel „in“ negativo constet: quo perveniremus, interrogat (p. 417 adn. 1), si a vocibus „ingens“. „inferiora“, similibus syllabam praefixam seiungeremus; praeterea etiamsi concedatur ab iis, qui immodulata, ut ait Horatius a. p. 263, poemata faciunt, praepositionem posse divelli, de Vergiliis idem dicere non decere.

Sed num Luc. Müller prorsus seiungendam esse dixit praepositionem a voce primitiva? demonstrat enim legem eam, qua verbo finito rhythmus incidatur, hac infringi exceptione, quod caesura interdum declaratur verborum compositorum quadam distinctione. itaque statuendum est secundum Müllerum quasi caesurae loco illam incisionem exstare, qua prior compositorum pars a sequenti dirimitur, ita ut mitigetur ea gravior rhythmi pausa. quare a Nordeno quae contra dicuntur, parvi momenti esse puto. sed

[1]) 1861 Petrop. ed. p. 194.
[2]) p. 416 pro „709 Versen der Aratea“ legendum est „579 Versen“.



ne videar pro nihilo facere Meyeri sententiam illam, id oculos ferit, quod plurimis locis, quibus caesurae loco versus inciditur praepositione a reliqua compositorum parte divulsa, syllaba acuta eliditur. atque ut putarem consulto poetas hanc elisionem adhibuisse ad incisionem illam iuvandam, eo imprimis adductus sum, quod Ciceronem videbam saepissime utroque, quem explicavi, modo incidendi usum esse, praesertim in versus principali caesura. ceterum nullo loco Ciceronem demonstrari potest caesuram, sive agitur de principali sive de subsidiaria, obscuravisse synaloepha, nisi si insequitur compositum, cuius pars prior proprii vocabuli instar habenda est. itaque contra Meyerum et Nordenum Luciani Mülleri sententia mihi probatur, nec dubium est, quid sentiam de caesuris versus illius, unde egressus eram „ortus ubi atque obitus ‖ partem ad | miscentur in unam“. quo in versu mireris, cur non miscendi verbo simplici Cicero usus sit, sicut Aratus (v. 62 „μίσγονται ἀλλήλῃσιν“): puto equidem, quia salva lege metrica poetam veterem imitari poterat. neque hi versus alia sunt condicione:

F. 4 „atque animo pendens ‖ noctu e | ventura timebat“,
F. 22.33 „quidnam torpentes ‖ subitô ob | stipuistis Achivi“,
F. 22.27 „tot nos ad Troiam ‖ bellî ex | anclabimus annos“,
F. 55.1 „haec habeo quae edi ‖ quaequê ex | saturata libido“;

accedit unum exemplum elisione non insigne:

F. 11 a „in montes patrios ‖ et ad in | cunabula nostra“.

Prima igitur lex Tullia de caesuris adhibendis ea fuit, ne exstante caesura semiquinaria quartus pes cum quinto cohaereret nullo interposito verbi fine; quamquam ipse putavit legem servari, cum non verbo, sed praepositione aut „in“ negativo compositi finito pes IV incidebatur. Ciceronem in hac lege condenda Ennium superavisse cum per se notabile est, tum in sermonis poetici fontibus reperiendis: ipsum enim videmus veterum poetarum imitandorum facultatem minuere, tamen, ne fines nimis angusti fiant, admittere pro legitima caesura semiseptenaria illam incisionem praepositionalem, de qua actum est. itaque Cicero primus eam regulam consequenter observavit, quae post eum exerceri solebat, secundum quam caesura penthemimeres semper coniungatur aut cum hephthemimeri aut diaeresi bucolica. — ceterum neque hanc neque illam subsidiariam caesuram Ciceronem praeferre notum est; gravioris vero momenti est, quod iam Guil. Meyer exposuit (p. 1048 n. 2), eum duobus tantum locis neque hephthemimeri nec diaeresi bucolica uti, sed caesura *κατὰ τέταρτον τροχαῖον*. uterque versus in Arateis occurrit: Ph. 3.2 „cum caeloque simul ‖ noctesque | diesque feruntur“, 327 „umidus inde loci ‖ conlucet | Aquarius orbe“, uterque caesuris trochaicis (in pedibus II et IV) insignis est, quibus rhythmus cum acceleratur, tum mollior fit. quae mollitia vix respondet ad ethos sententiae. quid? quod ad versum Ph. 3.2

pertinet, dictio „noctesque diesque“ ex Ennio sumpta est: (a. 334) „sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque“. mireris cur Cicero verba non eodem posuerit versus loco, atque Ennius, — sicut Vergilius in Aen. VI, 556 —, sed fieri potest, ut alio versu Enniano, qui aetatem non tulit, adductus sit; nam idem Vergilius in Aen. VIII, 94, quo loco Ennium se imitari ipsius initii forma prisca indicat, scripsit „olli remigio ‖ noctemque | diemque fatigant“, et V, 766 „complexi inter se ‖ noctemque | diemque morantur“. Praeterea quod Tullium illius dictionem imitari puto, etiam eo adiuvor argumento, quod locutionem introduxit pro Arati verbis „πάντ’ ἤματα συνεχὲς αἰεί“. de altero loco iudicare minus facile est, quo plura rursus ad Aratum apposita sunt: Aratus enim enumerat sidera, Cicero unicuique signo unum tribuit versum, ita ut ei occasio offeratur Ennianae dictionis imitandae (cf. „vis torva“, „vis magna“). quibus in versibus adhibet coniunctionem „inde loci“, veterum poetarum propriam: atque Aquarii nominativum et hanc particulam in eodem versu et eodem membro ponere salvis legibus caesurae adhibendae non facile est, quia aut semiquinaria opprimitur, aut caesura subsidiaria legitima. quamquam duo tantummodo exempla incisionis subsidiariae post quartum trochaeum exstantis quod inveniuntur, aperte demonstratur consulto poetam dedisse operam, ut hanc incisionem evitaret, quod ei initio quidem non ex omni parte contigit, sed quod videamus in posterioribus carminibus condendis.

His absolutis transeamus ad versus semiquinariam non exhibentes.

### b) De caesura hephthemimeri.

Hephthemimeres caesura apud optimos hexametri Latini auctores aevi Augustei sustentari solet trithemimeri et diaeresi ante tertium pedem. apud veteres vero poetas utroque subsidio nondum opus erat, neoterici raro admodum quarti pedis incisione mascula utebantur. Vergilius (in Aeneide) medium tenet cursum inter veteres et recentiores (cf. Nord. p. 419 sq.). ad Ciceronem quod pertinet, haec statuenda sunt: primum versus quidam caesura semiseptenaria insignes esse videntur, sed secundum ea, quae supra exposui, semiquinaria caesura principalis latet post praepositionem a voce primaria diremptam atque iungitur plerumque cum elisione syllabae praecedentis: Ph. 16.2 „quod quasi temonî ad ‖ iunctam | prae se quatit Arctum“, 189 „haec tamen aeternô in ‖ visens | loca curriculo nox“, 410 „caudaque Centaurî ex ‖ tremo | candore refulget“, 429 „e quibus ingentî ex ‖ istit | cum corpore prae se“, 310 „curriculo obliquê im ‖ plexus tribus orbibus unus“; elisione non sustentatur incisio versuum trium: 173 „propter Aquarius ob ‖ scurum | dextra rigat amnem“, 182 „Arcitenentis et



ob ‖ scurae | sine nomine cedunt“, Pr. 6.3 „vocibus instat et ad ‖ siduas | iacit ore querellas“. deinde nonnulli inveniuntur versus, qui utrum penthemimeren an hephthemimeren principalem habeant caesuram incertum est; en quinque: 49 „altera pars | huic | ob ⁝ scurast ‖ et luminis expers“, 74 „nam iam tum | nimis | ex ⁝ iguo ‖ lux tempore praestost“, 140 „Andromedam | tamen | ex ⁝ plorans ‖ fera quaesere Pistrix“, 382 „Delphinus | simul | ob ⁝ tegitur ‖ depulsa Sagitta“, F. 9 „nam quasi vos | sibi | de ⁝ decori ‖ genuere parentes“. sed verisimilius est, semiseptenariam principalem obtinere locum; incisio enim illa post praepositionem effecta elisione non adiuvatur, ita ut interstitia rhythmica, quae hephthemimeri et subsidiaria trithemimeri (cum diaeresi III pede finito) efficiuntur, multo gravius incidant; praeterea his caesuris sensus quoque melius distinguitur, quam si quis in tertio pede caesuram repositam esse defendit. ad hos versus semiseptenariam exhibentes accedunt quinque Ph. 7.1 „hac fidunt | duce | nocturna ‖ Phoenices in alto“, 39 „propterea | quod et | aetatis ‖ primordia clarat“, 174 „exiguo (qui) stellarum ‖ candore nitescit“, 436 „tum vero | fugit | Andromeda et ‖ Neptunia Pistrix“, F. 3.53 „eripere et | stragem | horribilem ‖ cladenque vereri“. hi omnes versus caesura semiseptenaria insignes, numero decem, regulam posteriorum poetarum propriam non laedunt; unum vero apud Ciceronem invenitur exemplum, quo lex infringitur, hoc: F. 3.73 „inque Academiâ | umbrifera ‖ nitidoque Lyceo“. exstante sola diaeresi legitima absentia semiternariae excusatur vocabulo Graeco.

Igitur apparet hic quoque Ciceronem studere metri legibus multo severioribus observandis, quam Ennium et Lucretium; sed cum in Arateis saepius hephthemimeres occurrat, rarius poeta ea utitur in posterioribus carminibus, neque memoratu indignum est hanc proprietatem Ciceronis et neotericorum communem esse.

### c) De caesura trochaica.

Caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* multo rarius omnes poetae Latini usi sunt, quam semiquinaria. huismodi in versibus apud Ennium quidem et Lucretium praeter caesuram trochaicam semiternaria et semiseptenaria exstent non necesse est, verum apud poetas Augusti aequales. Ennius composuit — (liceat uti locis Ennianis a Nordeno p. 421 allatis):

a. 478 „labitur uncta carina ‖ per aequora cana celocis“,

et Lucretius I. 297

„amnibus inveniuntur ‖ aperto | corpore qui sunt“;

aut Enn. a. 386 „labitur uncta carina ‖ volat | super impetus undas“,

Lucr. I. 399 „esse in rebus inane ‖ tamen | fateare necessest“,

aut Enn. a. 187 „incedunt | arbusta ‖ per alta, securibus caedunt“,

Lucr. I. 546 „dissolui | quo quaeque || supremo | tempore possint“. posterioribus vero temporibus caesuris, ut dixi, subsidiariis his opus erat:

Lucr. I. 414 „ut verear | ne tarda || prius | per membra senectus“.. non agitur de versibus, in quibus caesura trochaica post coniunctionem — quae acclinatam exstat, cum penthemimeren praevalere putandum sit, neque de iis, ubi penthemimeren insequitur monosyllabum breve.

Ac primum quidem in Arateis Cicero cum veteribus facere videtur; nam ad posteriorum praecepta respondent decem, reliqui versus repugnant, cf.

230 „sic malunt | errare || vagae | per nubila caeli“,

Ph. 7.5, Ph. 11.1, 302, 452, 478, Pr. 6.1 (Ph. 18.1), quibus accedunt ex posterioribus carminibus F. 3.39. F. 3.46, F. 22.24.

ad Ennii a. 187. Lucretii I. 546 versus instar compositi sunt hi versus:

Ph. 24 „hoc motu | radiantis || etesiae } in vada ponti“,
22 „qua summa | ab regione || Aquilonis } flamina pulsant“.
44 „infirmis | fabricatus || in alta } sede locasse“,
207 „ille autem | Centaurus || in alta } sede locatus“.
201 „ni parte ex | aquilonis || opacam } pellere nubem“.
467 „inde obiens | Capricornus || ab alto } lumine pellit“.
241 „quae densis | distincta || licebit } cernere signis“,
F. 3.41 „et divom | simulacra || peremit } fulminis ardor“,
F. 3.70 „praecipue | coluere || vigenti } numine divos“.

sed in una re versus Ciceronis ab Enniano differunt et cum Lucretiano, quem comparavi, congruunt, quod pro hephthemimeri exstat diaeresis bucolica. puto equidem Ciceronem satisfacere elegantiae sibi visum esse caesura trochaica per (trithemimeren et) diaeresin bucolicam sustentata ex analogia caesurae penthemimeris.

Altera ex parte versus duos notavi, quibus trithemimeres deest:

138 „clari } posteriora[1]) || Canis | vestigia condit“,
372 „cedunt } obscurata || simul | vis magna aquilai“

qui versus cum illis, quos ex Ennio et Lucretio supra attuli, prorsus congruunt, etiam in eo, quod ante sublationem pedis secundi, post quem trithemimeres caesura exstare solet, diaeresis intervenit. quam caesurae vice fungi arbitror, sicut bucolicam vice hephthemimeris.

Accedunt quattuor versus notabiles:

31 „at non in | teriisse || putari } convenit unam“,
76 „iam prope prae | cipitante || licebit } visere nocte“:

in quibus versibus pro altera caesura subsidiaria diaeresis exstat, pro altera incisio post praepositionem a voce primitiva separandam,

[1]) voce „posterior“ alio quoque loco metri leges perrumpuntur, vide p. 26.



Pr. 5. 1 sq. „vos quoque } signa videtis || aquai | dulcis alumnae,
cum clamore } paratis || inanis } fundere voces“,

quorum in utroque semiseptenariae loco diaeresis bucolica invenitur, cum pro trithemimeri exstet diaeresis ante secundum pedem in altero, caesura trochaica eiusdem pedis in altero. sed utriusque versus rhythmus caesuris inusitatis notabilis consulto a poeta delectus esse videtur, depingit enim τὸ ἦθος sententiae, sicut dactylos et sonos depingere supra dixi.

Cicero igitur hanc legem observat: exstante caesura trochaica alterius caesurae subsidiariae, trithemimeris et hephthemimeris, aut ambarum vice diaeresis ante secundum et post quartum pedem fungi potest. qua in lege servanda ex omni parte cum veteribus facere videtur, quin etiam notabile est versus liberis caesuris subsidiariis plures esse quam eos, qui legem poetarum optimorum praeferant; neque enim Ennius neque Lucretius, quod videam, tanta libertate utuntur, si liberam appellare possumus Ciceronis legem.[1]) tamen posteriore aetate Cicero aut utramque caesuram aut cum trithemimeri diaeresin bucolicam adiuvare caesuram trochaicam voluit, ex analogia videlicet caesurae subsidiariae exstante penthemimeri.

### 6. De pede primo.

Hactenus de legibus Tulliis, quas de caesuris adhibendis condidit et observavit. nunc nos vertamus ad versus partem extremam et primam. quod ad primum versus pedem pertinet, Nordenus explicavit (p. 425), quibus condicionibus Vergilio licuerit a verbo spondeo versum incohare. nam cum spondeus ipse, tum diaeresis quasi retardat rhythmum. quodsi Nordenus suspicatur Vergilium eas condiciones plus, quam divinare possimus, ab Ennio recepisse, ex re esse puto Ciceronis quoque condiciones breviter disquirere. negari non potest eum non evitasse spondeum et diaeresin pedis primi, quamquam plurimis exemplis, quae huc pertinent, redardatio minuitur, cum praepositiones, coniunctiones, alia quae acclinentur ad praecedentia, spondeum subsequuntur, atque in Arateis minus, quam in reliquis fragmentis. interdum de diaereseos effectu nihil detrahitur, quod membrum (sive κῶλον) finitur; exempli gratia conferas:

v. 11 sq. „. . vehementius illi | Pisces; quorum alter . .“
v. 29 sq. „. . septem . . perhibentur . . | Stellae; cernuntur vero . .“,

v. 53, 146, 172, 281, 356, 376, 444, 445 alia; aut quod rhythmo gravi sententiae gravitas depingitur, cf.:

F. 22.24 „nobis haec portenta (deum dedit ipse creator)“

[1]) ceterum confer Meyeri lib. s. s. I. p. 1056.

(F. 22.27, F. 3.47 sqq.). nihilosetius versus, quorum prima vox sine ulla excusatione spondea sit, neque diaeresin dissimulare poeta studuerit, haudquaquam raro occurrunt, cf.

27 sq. „. . omnis parte locatas | Parvā, Vergilias . . .“,
138 „clāri. posteriora Canis vestigia condit“.
221 „rōstro tundit“, 200, alia plurima.

quare, siquidem Ennius iam studuit a voce spondea versum non incohare, nisi effectus aut minuitur aut sententiae aptatur, Ciceronem minime possumus dicere in hoc studio profecisse. atque omnino in versus initio non nimia diligentia Cicero usus esse videtur: pedis secundi quoque certae leges inveniri non possunt: cum caesura in eo non exstat, spondei et dactyli occurrunt, voces dactylicae et spondeae. maiore vero diligentia Ciceronem uti in extremo versu componendo videbimus.

## 7. De pede quinto et sexto.

Quod pertinet ad extremos versus, cum quaestionibus priorum omnia fere copiose pertractata sint, praesertim a Meyero et Nordeno (p. 427—38), pauca tantum addenda erunt. posterioribus enim temporibus hae versuum clausulae vitiosae putabantur:

1. cum pes quintus spondeus erat — — — ◡ ⌇,
2. cum vox quattuor vel quinque syllabarum versum finiebat ◡ ◡ — ◡ ⌇ — ◡ ◡ — ◡ ⌇,
3. cum in fine versus monosyllabum exstabat,
4. cum arsin pedis quinti vox pyrrhichia subsequebatur | ◡◡ | — ◡ ⌇.

quarum omnium Ciceronis Aratea exempla praebent, neque vero multa.

a) cum pes quintus spondeus apud Ciceronem unus occurrat, v. 3 „Orionis ⌇“, primam legem perrumpi nomine proprio atque Graeco apparet;

b) item alteram legem locis septem, — nomine Graeco: Ph. 32.1 . . Cassiepia ⌇, 23 . . Cassiepiae ⌇, 35 Taygeteque ⌇, et Latino: 372 Aquilai ⌇, 293 Anguitenentis ⌇, 273 Capricornum ⌇, 311 Capricorno ⌇, ita ut unum restet exemplum notabile:

v. 388 „inde pedes Canis ostendit iam posteriores“.

cum vocibus polysyllabis versum finire Ciceronem evitare apertum sit, fieri non posse arbitror, ut ipse sine ulla excusatione legem suam everterit, sed habere eum veterem auctorem, cuius memorem se praestare cum ostentatione voluerit;

c) quod pertinet ad tertiam legem et monosyllabon in extremo versu positum, nihil novi proferre possum, cf. imprimis Nordenum (p. 438). atque alterum monosyllabum alterum insequitur: Ph. 7.4 „. . usus in hac est“, 153 „. . iacit ex se“, 429 „corpore prae se“, reliqua sunt: Ph. 30 „dexterque simul pes“, 57 „Equi vis“, F. 52 „opum vim“, 475 „signipotens nox“, 64, 189 „curriculo nox“, 264 „curriculum sol“. quod pertinet ad haec quidem exempla, merito explicat Nordenus monosyllaba „vis. nox, sol“ apud Ennium, „pes“ apud Lucretium versum finire. Lucretium vero, si cum Cicerone congruat, Ennium imitari infra erit demonstrandum; praeterea Lucretius etiam „vis, sol“, Vergilius, non minus certe quam Lucretius Ennium imitatus, „nox“ in ipso versus fine posuerunt.[1]) quare quod Nordenus edocet Ciceronem iis locis, quibus monosyllabon in extremo versu polysyllabon subsequitur, non modo imitari, sed citare poetam veterem, ab eius sententia sto compluribus de causis. primum quidem exiguo numero exemplorum demonstratur Ciceronem evitare quodlibet monosyllabum in extremo versu ponere. deinde nonnullas harum clausularum esse aliunde desumptas, non a Cicerone ipso fictas, aut fragmentis Ennianis demonstratur, aut alterius poetae versibus, quem constat Ennium imitari (cf. „equi vis“, „opum vim“; — „curriculo nox“ cum Verg. Aen. VIII. 407 sq., qui versus oritur a voce — Enniana — „curriculum“, ut Ciceronis versus 310, — compositionem „signipotens“ cum Ennii „bellipotens, sapientipotens (a. 181), similibus). tum omnibus fere locis fieri non potest, ut putemus consulto ἦθος sententiae depingi rhythmo cum ostentatione interrupto per caesuram pedis extremi. — quod vero versus 264 spondeis gravibus supra diximus bene illustrari currum retardatum et cum labore conversum, caesura illa efficitur, ut ipse sentias perculsionem illam, cum subito currus retro movetur: „in quo consistens convertit curriculum ‖ sol“. itaque hic versus solus exstat, ubi cum elegantia monosyllabon in extremo versu exstare concedendum est. neque vero habemus, cur ea de causa putemus Ciceronem ipsum auctorem eius versus esse, quem pro Arati v. 499 „*θέρεος δὲ οἱ ἐν τροπαί εἰσιν*“ posuit. quibus nisus argumentis, cum Nordeno, ut dixi, facio.



Deinde quod ad ea Ciceronis exempla pertinet, quibus monosyllabon alterum subsequitur alterum, haec quidem leviter ferenda sunt, cum copula „est“ per enclisin applicetur ad verbum praecedens (hac est Ph. 7.4), et praepositiones per proclisin cum pronomine iungantur (ex se 153, prae se 429). talia quoque apud Ennium Lucretium Vergilium multa exstant (Lucr. IV. 317, Verg. Ae. XI.16 „hic est“, Enn. a. 30, Lucr. III.137, 704, 718, IV. 911 alibi „ex se“).

d) iam ad quartam legem aggrediamur. non minus raro in Arateis versus occurrunt, quibus lex illa de voce pyrrhichia in quinta positione evitanda neglegitur. notavi viginti quinque exempla:

[1]) Lucr. III, 8.764 „. . equi vis ⌇“, alia plurima, III. 1044 „aetherius sol“, VI, 620, Verg. Aen. II, 250 „ruit Oceano nox“, geor. I, 247 „intempesta silet nox“.

Ph. 23.1 caput Arcti, 376 caput Hydrae, 413 fera Pistrix, 254 genus ardens, F. 30.1 pater ipse, Ph. 24 vada ponti, 8 minor illis, 2 prius illae, 89 grave maestis, 476 rapit ipsa, 309 tenet ille, Ph. 16.2 quatit Arctum, 121 fugit ictus, 173 rigat amnem, 187 dedit orbe, 325 tenet arcum, 343 trahit unum, 153 iacit ex se, 105 ita vero, 158 neque nomen, 258 simul Ales, 454 simul Anguis, 468 simul Haedos, 276 simul amplam, 460 simul effert.

si respiciemus primum Ciceronem in quinto pede dactylum constanter posuisse, concedendum est non sine difficultate eum hoc perfecisse. iam Ennius, quandocunque pede quinto dactylico utitur, non multa invenit verba, quae hic ponere liceat: oculos ferit saepissime contineri hoc pede dactylos „corpore, corpora, lumine, lumina, agmine, agmina, tempore, tempora“, infinitivos in -ĕre et iĕr exeuntes, verba cum enclitica -que composita.[1]) quare varietatem pedis quinti fingendi abesse in Arateis quoque molestum est,[2]) nec mirum pro difficultate eius condendi interdum introduci voces pyrrhichias, quas adhibere Ennium poetam praeclarum videbat. atque usus est verbis simplicibus generis activi (rapit, tenet, reliquis), substantivorum et adiectivorum nominativo et accusativo (caput, fera, reliquis), adverbiis (ita, neque, simul); praeter cetera amat adverbium „simul“ in quinta positione locare. itaque Ciceronem adulescentem et reliquos eorum temporum poetas clausulam illam nondum sprevisse putandum est. aetate autem adulta Cicero in versus pedibus extremis condendis suorum temporum, ut videtur, studia metrica respiciens ultra priorem suam artem numerorum progressus est, quamquam in eo neotericis acerrime restitit, quod spondiazonta, i. e. versum quintum pedem spondeum exhibentem, perhorruit, qua de re conferas Cic. epistulam ad Att. VII. 2); monosyllabum in fine non posuit, nisi uno loco, quo vetustum oraculum Croeso olim datum antiquis et vetustis coloribus imitatus est (F. 52 „Croesus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim“); unde sumpserit dictionem vetustatem redolentem, dubium non est: Vergilius enim versu Aen. XII. 552 „(pro se quisque viri) summa nituntur opum vi“ aperte imitatur Ennium (a. 161, 412), neque aliter sentiamus necesse est de versu Ae. IX. 532 „(expugnare Itali) summaque evertere opum vi | certant“, quamquam Ennii versus qui ad hunc prorsus respondeat, non exstat. cuius versus Vergiliani finis tam similis est Ciceroniano, ut appareat utrumque imitari cum ostentatione Ennium. quid? quam clausulam in Arateis crebrius atque arbitreris adhibuit | ◡◡ | —◡. in posterioribus carminibus semel adhibitam videmus, F. 30.1 „quali pater ipse | Iuppiter auctiferas lustravit lumine terras“ (inter-

[1]) cf. Skutsch. l. s. s. p. 2623 sq.
[2]) cf. Moll. l. s. s. p. 16.



pretatur enim Homerum Od. 18. 137 „οἷον ἐπ᾽ ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε“). cuius versus dictio poetica tota pendet e veterum poesi (de verbis „lustravit lumine terras“ apud Lucretium et Vergilium occurentibus vide infra p. 72 sq., compositio „auctifer“ antiqua est). sed de „pater ipse“ verbis quid sentiendum est? Catullus dicit 64. 21 „tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit“. dein Vergilius eadem dictione utitur georg. I. 121, I. 353 et Cicero saepius: F. 19. 12 „partibus intonuit caeli[1]) pater ipse sinistris“, F. 3. 36 sq. „nam pater altitonans ... | ipse ...“, quae cum ita sint neque alia causa reperiatur, cur illo loco metri lex perrumpatur, suspicor Romanos ex Ennii carmine epico „patrem ipsum“ cognovisse, Ciceronem Ennii memorem fuisse, Catullum et Vergilium Ennium sequi. denique quod supra dixi in Arateis varietatem abesse verborum in quinto pede ponendorum, etiam in eo profecisse Cicero videtur; nam cum in Arateorum versibus centenis non plus quaternos invenerim, quorum in quinta positione coniunctio -que inest, in fragmenti carminis de consulatu (F. 3) 78 versibus idem vicies occurrit; quare Cicero ipse sensisse mihi videtur, quam molesta sint „corpora“, „tempora“, „lumine“, „corpore“ etc. iterum atque iterum in quinto pede posita.

quae cum ita sint, magni momenti est, utrum ipsum Ciceronem leges illas numerorum severiores invenisse putemus an non. nam quod poetas Augusto aequales videmus iisdem fere legibus metricis usos esse, Ciceronem omnes secuti essent, si ipse hexametri novam artem repperisset. quod fieri potuisse nego. satis enim notum est temporibus illis, quibus iuvenis Arati carmina convertit, duas exstitisse poetarum sectas, ut ait L. Mueller l. l. p. 64, alteram antiquitatis amantem, alteram spreta eadem novae studiosam viae. atque illorum partes Cicero secutus est, at tamen nunquam versus fecit sine respectu horum, neque invenis neque aetate adulta. quod enim neoterici inter poetas Graecos Alexandrinorum maxime imitationi studere solebant, Cicero quoque adulescens iisdem poetis convertendis operam dedit; idem aetate adulta in quibusdam rebus metricis poetarum novorum consuetudines sequitur: quod interdum apparuit in iis, quae antea exposita sunt. itaque Cicero stetisse a poetarum secta antiquitatis amanti eorumque studia metrica secutus esse videtur, quin etiam adversariorum suorum proprietates quasdam respexisse, -plurimas sprevisse. vero num putemus Ciceronem tantae fuisse virtutis poeticae, ut adulescentulus invenerit delicia hexametri ante eum incognita? qui non vatis ingenio divino impulsus poeticen attegit, sed potius exercitationis causa cum alia Graecorum tum Arati carmina didactica convertit. nonne veri simillimum est talem poetam, ne dicam versificatorem, quod pertinet ad numerorum artem, suorum tem-

[1]) genetivum „caeli“ ad verbum „partibus“ pertinet, cf. Ph. 21. 145 sq., 360, F. 3. 22 (193, 214).

porum studia et consuetudines consequi. nonne qui ingenii poetici praestantioris fuere, ipsis Ciceronis temporibus, suas ingressi sunt vias, velut Lucretius regressus est a suo saeculo ad Ennii artem, progressi autem sunt neoterici ad novas normas metricas. itaque tantum abest, ut putem a Cicerone repertas esse hexametri condendi leges a poetis Augusteis servatas, ut in Arateorum arte videatur repraesentari ars poetica eorum, quibus restitere poetae novi a Cicerone contempti.

### 8. De s-litera abiecta.

Quoniam Ciceronis artem metricam cognovimus, quibus usus sit adiumentis, ut exornaret hexametrum et aptaret formam externam ad sententiam, quibus caesuris rhythmum adiuvari voluerit, quas ad leges et initium et clausulam versuum composuerit, nunc me vertam ad prosodian et synaloephes usum, quia haec quoque cum arte hexametri condendi cohaerent. prosodia Ciceronis, ut omittam, quae parvi momenti sunt, imprimis notabilis est s-litera syllabarum brevium, qua vox terminatur, ante consonam abiecta. quae proprietas octo locis occurrit, ter in primo pede: Ph. 8. 2 „torvuš draco serpit“, Ph. 23. 3, 263 „magnuš Leo“, quater in quinto: 25 „elapsuš repente“, 92 „lustratuš nitore“, 97 „Aquilonis̆ locatae“, 335 „mortalibuš cedit“, semel in secundo: 121 „Orionis̆ iacet“; hic quidem rara est, neque vero inaudita (cf. Lucr. I. 591 „immutabiliš materiae“). iure docent viri docti Ciceronianae prosae dictionis clausulis demonstrari temporibus eius s'literam illam pronuntiari solitam esse, ideoque et Ciceronem imitatum esse Ennium et item Lucretium. sed causa, cur Cicero quidem Ennium secutus sit, in eo posita esse videtur, quod legem illam pedis quinti dactylici constanter observare studuit: hic enim praecipue s litera abici solet.

Literam non posse supprimi, nisi cum syllaba extrema in positione exstat, notum est. tamen, ut syllabae breves in -s exeuntes ante consonantes producantur, cum in sublatione exstent, fieri potest propterea, quod in hexametro, si syllaba ultima accentum rhythmi obtinet, caesura fit. quam propter caesuram s-litera non abicitur; cf. exempla nonnulla: caesurae penthemimeris: 47 „namque est Ales avis̲ ‖ lato . .“, 91 „tum magni curvus̲ ‖ Capricorni . .“, caesurae subsidiariae: Ph. 15. 5 „atque oculos̲ | urget ‖ pedibus̲ | pectusque Nepai“, Ph. 18. 1 „sub pedibus̲ | proferta ‖ . .“, diaereseos bucolicae (apud Ennium quoque a. 216 et Lucretium I. 203), Ph. 15. 2 „. . manet religatus̲ | corpore tortus“, Ph. 26. 1 „obductus | parte feretur“, Ph. 17. 2 „Arcturus̲ | nomine claro“. in reliquis vero diaeresibus, quae non caesurae vice exstant, mireris iam ab Ennio non constanter s-literam abici, sed ad arbitrium facere poetam; cf. Enn. a. 222 „qualis̲ | consiliis . .“, Lucr. II. 54 „omnis cum tenebris etc.“. Ciceronem autem eam inconstantiam



et libertatem non admisisse videtur; nam quod scripsit: 355 sq. „. . nec totus ad umbras | tractus̲, sed supera“ etc., 286 „tantus̲ quantus erit conlucens lacteus orbis“, utroque loco post syllabam -us pausa incidit, cum membrum aut incisum finiatur. quare puto re vera Ciceronem hanc quoque proprietatem Ennianam ad normam dirigere studuisse. sed, sicut ceteri poetae, posteriore aetate, quod videamus, eam sprevit.[1])

Singula, ut dixi, praetermittam, ut hiatum uno loco exstantem in voce Graeca (Ph. 24 „etēsiăe in vada ponti“). synizesin pronominis determinativi („eius“ monosyllabon, „eodem“ bisyllabon), similia.

### 9. De synaloepha.

Monosyllaba synaloepha supprimere neque veritus est Cicero neque in deliciis habuit; inveniuntur in reliquis carminum eius haec:

| | |
|---|---|
| F. 27. 2 „me orbatum“ (in tertio pede), | F. 19. 5 „se intorquentem“ (in prim. p.), |
| F. 54. 1 „te hic“ (in quarto p.), | F. 3.75 „iam a flore“ (in quart. p.), |
| 62 „te in“ (in sec. p.), | F. 55. 1 „quae edi“ (in sec. p.). |
| 87 „se Aquila“ (in sec. p.), | 287 „quo autumnali“ (in pri. p.). |
| 243 „se et“ (in tert. p.), | |

oculos ferit Ciceronem in Arateis rarius, quam in reliquis carminibus, atque maiore adhibita cautione, monosyllaba elisisse. postea vero apud Ciceronem valuisse exemplum poetarum neotericorum videtur; nam durius est monosyllabon „iam“ aut „quae“ elisione opprimere, quam „me, te, se, quo au“. et, quod pertinet ad frequentiam, in Arateorum versibus circiter 580 occurrunt quattuor exempla (0,7 %), in reliquis hexametris, numero fere 165, non minus quinque (3 %). Nordenum autem, qui copiose agit de synaloephis Vergilianis et reliquos poetas epicos Latinos diligenter respicit, vocis „iam“ elisio effugit. quo factum est, ut non prorsus eadem sententia de Ciceronis synaloephis sit, qua ego sum. secundum tabellam eius monosyllaba synaloepha oppressa exstant in centenis versibus: apud Ennium: 0,8, Lucr.: 1,1, Verg. in geo. 0,8, in Aen. 1,3. cum his facit Cicero in Arateis (0,7 %). porro in centenis versibus inveniuntur apud Catullum in epylliis 4,8, Verg. in bucol. 2,7 %, quae maxime pendent ex arte neotericorum: his vero accedunt Ciceronis posteriora fragmenta (3 %). quae cum differentia inter Nordeni et meam sententiam intercedat, omnia synaloephes exempla in Ciceronis fragmentis, quae hexametris condita sunt, denuo collegi et enumerare et in ordinem digerere conabor, sicut Vergilii synaloephas tractavit Nordenus; quo facto me aliquid

[1]) Lucr. quoque cf. I. 616 sq., IV. 511, alia.

adiuturum esse spero, ut demonstretur legem de synaloepha ab eo scriptam (p. 451) viguisse.

Primum quidem enumerabo, quibus versus pedibus synaloephe exstet, ea tantummodo afferens, quae notabilia videntur.

a) tertia syllaba pedis primi synaloepha supprimitur v. 405 „dum Nepa et Arcitenens . . .“, F. 3. 57 „tum fore ut . . .“. quod rarissime occurrere Nordenus edocet (p. 442), praesertim voce bisyllaba per synaloephen correpta. in versu altero cum verba „fore ut“ arte cohaereant, ita ut elisio non nimis dura videatur, in altero cernitur libertas antiqua.

b) tertia syllaba pedis secundi: Ph. 6. 1 „ex his altera apud . . .“ quod unum exemplum Ciceronis est. causa vero, cur poeta non evitaverit elisionem duram, eadem est, atque in altero versu Vergiliano, antitheseos gratia, qua Arati quoque versus, quem Cicero interpretatur, insignis est (Ar. 36 sq. *„καὶ τὴν μὲν Κυνόσουραν* . . . | *τὴν δ'ἑτέρην Ἑλίκην* . . .“).

c) inter pedem quartum et quintum synaloephe est: 311 „. . . Cancer spatio a Capricorno“, 340 „sex signorum ordine fultumst.“ haec quoque invenitur rarissime, quam Nordenus (p. 444) statuit apud Vergilium in quattuor versibus, exstare, quorum colores a vetere Romanorum poesi desumpti esse videntur. praeterea in Lucretio quoque haec synaloephe occurrit quinquies et in Catulli epylliis semel.

d) syllaba secunda pedis quinti elisione corripitur uno loco: 372 „. . . vis magna Aquilai“; synaloephe antiqua est, ut sermo (cf. circuitionem „vis aquilae“ et genetivum veterem).

e) item syllaba tertia pedis quinti: Ph. 25 „quaerere aplustra“, 179 „. . . nomine Aquai“, 348 „. . . tempore eodem“, 430 „. . . flebile acumen. quae synaloephe, cum ĕ-syllaba levissima elidatur, non nimis molesta videtur, sed tamen in fragmentis posterioribus non occurrit. praeterea versus 179 et 430 colore antiquo insignis est.

f) inter pedem quintum et sextum syllaba eliditur apud Ciceronem semel: 32 „. . . ratione sine ulla“. versus cum ad Arati verba additus sit, verisimile est dictionem in eo adhiberi Ennianam, quae sententia eo confirmatur, quod Ennii imitatores, Lucretius et Vergilius, simillima praebent, ille quidem ex. gr. I. 1054 „sine ullis | ictibus . . .“, „neque ullis“, similia I. 687, 690, II. 235, alibi, hic geo. III. 274 „. . . saepe sine ullis |“, ib. 342 „. . . deserta sine ullis |“, Aen. II. 544 „telumque imbelle sine ictu“. non durior esse videtur haec synaloephe propter proclisin praepositionis.

His igitur locis cum rarissime elisio occurrat, aperte demonstratur Ciceronem evitare hoc loco syllabam elidere, neque ipsum



audere, quotiens elidit, sed veterum poesin sequi. quod si minus certum esse in omnibus coargui potest, tamen in plerisque. quae adhuc exempla enumeravi, ex Arateis sumpta sunt, uno excepto, quod molestum esse negavi („fore ut“).[1]

Hactenus de locis, ubi synaloephe exstat. deinde quod ad qualitatem vocalium pertinet, quae in pedis positione per synaloephen concurrunt, non multum addam. vocales enim productae concurrunt in Arateis rarius quam in carminibus posterioribus:

ō + au 287, ō + ē Pr. 3.5, ō + ī F. 3.13, ō + ā F. 3.21 ae + ē F. 55, ā + ē 25, ā + ā F. 7.1, 87, ē + ō F. 27.2, ī + ī F. 47.3.

cum brevi autem vocali producta non confunditur, nisi uno loco posteriorum poematum: F. 28.4 „firmō ănimo“. secundum Nordenum (p. 448, 450) haec synaloephe apud Lucretium et Vergilium nonnunquam usitata propter appellationem per syncopen correptam substantivi „animus“ adhiberi potuit.

Iam aggrediamur id, quod summi est momenti, synaloephen dico syllabae cum vocali rhythmi accentu elata effectam. Nordenus legem interpretatur, quam hexametri Latini auctores optimi observaverint; docet enim synaloephen, qua vocalis corripiatur, a vocali sublationis secundi, tertii, quarti pedis a poetis optimis evitari, cum sublationis vocalis grammaticum accentum obtinet, adhiberi, cum vocalis aut parvo aut nullo accentu effertur [= p. 451 „Synaloephe mit einem in der zweiten, dritten oder vierten Vershebung stehenden Vokal wird im Hexameter möglichst gemieden, wenn dieser Vokal tontragend ist, dagegen zugelassen, wenn dieser Vokal entweder nur gering betont ist, oder überhaupt nicht betont ist“]. quod praeceptum ut demonstraret per historiam hexametri Latini paulatim excultum esse, Nordenus cum reliquos poetas antevergilianos, tum Ciceronem cum Vergilio comparat; me Ciceronem in medium proferentem ad demonstrationem nonnihil adiuturum esse spero. atque secutus tabellas viri docti afferam synaloephen, qua vocalis suppressa confundetur cum monosyllabo proclitico, sub litera *α*), sub lit. *β*) cum voce tres syllabas continenti, quarum media vocis accentum obtinebit, sub lit. *γ*) cum voce quattuor, quinque syllabas continenti, quarum paenultima accentum habebit, sub lit. *δ*) cum voce bisyllaba, cuius ultima per alteram synaloephen ad vocem insequentem quasi acclinabitur, sub lit *ε*) ea exempla afferam, quibus lex perrumpi videbitur. vocem, cuius syllaba ultima supprimetur, signis adhibitis praescribam.

---

[1]) ceterum corripitur secunda syllaba pedis prim. in 43 versibus, ped. sec. in 19, pedis tert. in 17, ped. quarti in 27 versibus; accedunt ceteris locis exstantes 8 elisiones.

**a) confunditur vocalis cum vocali sublationis secundae.**

1. ⏓ *α*) 62. „te ín pòntum,[1])
2. ⏑⏑ *δ*) Ph. 10.2 ubi átque òbitus,
*ε*) 378 ante Canem, índe canis,
3. –⏑ *α*) 14 horum é caùdis, 23, 135, 416, 201, 367, 379.
*β*) Ph. 32.2 autem íllùstri, 162, 401, 420, 469, F. 3.11, F. 3.55,
*γ*) Ph. 12.2 ille éxìmio, 456, 344, F. 3.51, F. 24.2,
4. ⏑– *α*) 263 Leo ét clàro, F. 22.1,
5. –̇ – *α*) 22 summa áb regiòne, 136, 268, 293, F. 29.3, F. 3.8,
*β*) 214 sese ínfèrnis,
*γ*) Ph. 27.2 Haedi éxìguum, 77, 81, 359, F. 22.18,
6. ⏑⏑⏑ *α*) 294 genua ét sùmmi, F. 3.76,
*β*) 392 medium óstèndit,
*γ*) 145 etiam Érìdanum,
*δ*) F. 27.2 decore átque omni,
7. ⏑⏑– *α*) F. 22,13 platani ín ràmo, F. 19.8, F. 28.4.
*β*) F. 22.10 platano úmbrìfera,
8) ––⏑ *α*) Ph. 9.6 optutum ín caùda, Ph. 32.7, 282, 402, F. 48.2,
*β*) 167 exinde aústràlem, 169. (F. 16.2),
*γ*) 155 exinde éxìguae, 468,
*δ*) 479 cervicem átque òculorum,
*ε*) 303 sollertem ípsa dedit
F. 3.59 convèrsa índe patrum sedes.
9. ––– *α*) F. 3.14 lustrasti ét laèto, F. 3.15,
10. –⏑⏑⏑ *α*) 317 Zodìacum húnc Graèci, 432, F. 3.53, F. 19.4, F. 29.9,
*β*) 310, curriculum óblìque,
*γ*) Ph. 32.3 Andromeda aúfùgiens, F. 53,
11. –⏑⏑– *α*) 340 signifero éx òrbi,
*γ*) F. 3.1 principio aéthèrio;

[ad 5, — — pertinet Ph. 7.5 „nam cursu ínteriòre". praeceptum non neglegitur, cum paenultima vocis summo, praepositio minore sono praedita sit; accedit igitur hoc exemplum ad ea, quae sub litera *α*) posui].

Legem perrumpere tria exempla videntur; bis enim cum adverbio „inde" synaloephe efficitur, quam vocem procliticam, esse apertum est, si in enuntiato primum locum obtinet, si minus, encliticam. (cf. Skutschii quaett. gram. et metr. I, Lipsiae 1892 p. 76 sqq.) tertio loco pronomine „ipse" efficitur; atque hoc quoque ad insequentem vocem acclinatur: 303 „sollertem ípsa dèdit".

[1]) versus accentus significatur nota ´, vocis sonus `.



unde colligitur, ut in his synaloephes exemplis 73 [1]) nihil exstet, quo laedatur praeceptum Nordenianum, cum quae laedere videntur revera pertineant ad ea, quae ponuntur sub litera *δ*, apud Ciceronem quidem synaloephen non exhibentia, nisi ante coniunctionem „atque" per aliam elisionem cum insequenti voce coniunctam.

**b) confunditur vocalis cum vocali sublationis tertiae.**

1. ⏓ *α*) 243 inter se ét nòdis,
2. ⏑⏑ *α*) 443 neque éx càelo,
3. –⏑ *α*) 16 tandem ín stèlla, 357, F. 3.17, F. 22.6,
*β*) 194 parte óbscùra,
*γ*) 154 spina évàlida, 343, 407, F. 3.53,
4. ⏑– *α*) 152 retro ád pistrìcis,
5. –– *α*) Ph. 22 cauda ád gènus, 18, 135, F. 3.62,
*δ*) Ph. 27.1 magno átque illustri,
6. ⏑⏑⏑ *α*) 32 temere á vùlgo, 42, 98, 295 = 385 = 454 (capite ét . . .),
*β*) 87 Aquila árdènti,
7. ⏑⏑– *α*) 203 medio ín caèlo,
*δ*) 354 supera átque alia,
*ε*) 276 leporem índe pèdes,
8. ––⏑ *α*) 80 erectum ád . . ̀, 171, F. 3.55, F. 19.7,
*β*) 310 oblique ímplèxus,
*δ*) 401 exstinctum átque exortum,
9. ––– *α*) F. 3.49 civili é generòsa,
*β*) Ph. 16.2 temoni ádiùnctam, 189, 410, 429,
*γ*) F. 3.73 Academia úmbrìfera,
*δ*) 287 antumnali átque iterum,
*ε*) 278 Centauri átque Nèpai,
10. –⏑⏑⏑ *α*) 257 Andromeda híc ̀. .,

[ad 3. –⏑ pertinet 188 „parvum ínferiòre", qua elisione non magis, quam illo „cursu interiore", ut supra dixi p. 34, praeceptum neglegitur]. utrumque exemplum, quod sub litera *ε*) posui, ad ea pertinet, quibus lex infringi videri, non revera laedi solet, altero enim versu rursus apparet „inde" ad insequentem vocem acclinatum, altero „atque", qua de coniunctione non aliter sentiendum est.

**c) confunditur vocalis cum vocali sublationis quartae.**

1. ⏓ *α*) F. 54.1 nos te híc,
3. –⏑ *α*) 358 magnum á . ., F. 3.47, F. 55.2,

[1]) Nordenus exhibet 48; videtur in summa locorum facienda sola Aratea respicere, in reliquis vero cetera fragmenta quoque; idem error etiam tractanti sublationem tertiam et quartam subrepsit.

δ) F. 3.5 saepta átque inclusa,
ε) 267 atque àlvo possidet,
F. 28.1 atque ómni lùce,
F. 16.4 atque ómnia dùlcia.

4. ◡ — α) F. 3.67 modo ác virtúte,

5. — — α) 472 caeli ín . ., F. 3.54,
γ) F. 22.27 belli éxanclàbimus,

7. ◡◡ — ε) Ph. 26.3 clara óbtinet,
[Ph. 10.1 pro tradito „subitoque recondit“ Grotius maluit scribere „subito aéquore condit“, quamquam non est, cur eum sequamur.]

10. — ◡◡◡ α) 436 Andromeda ét . . .

[rursus accedunt loci quidam, quibus vocalem elisione obscuratam insequitur praepositio cum verbo composita: Ph. 10.2 „partem ádmiscèntur“, F. 4 „noctu éventùra“, F. 55.1 „quaeque éxsaturàta“, F. 22.23 „subito óbstipuìstis“; talia sub litera α) ponenda esse supra dixi.]

Notabile est hac in sublatione legem perrumpi saepius videri. plerisque locis vox „atque“ per synaloephen corripitur, i. e. monosyllabon fit, quod ante consonantes scribi solet in prosa quoque dictione „ac“: itaque legem his exemplis perrumpi negandum est. Una in omnibus Ciceronis hexametris elisio restat, qua praeceptum laedi merito dixerit quis:

Ph. 26. 3 „at Capra laevum umerum clara óbtinet“. — (clausula deest). — hanc versus partem ipse nobis tradidit Tullius de nat. d. II. 43. 110, quo loco Arateorum versus affert intermissis prosae dictionis verbis iungentibus carminis membra singula. his quoque verbis auctor carminis dictionem praebet, cf. ib. 114 „quem longe serpentem et manantem aspicies“ cum v. Arateorum 149 sq. „hunc . . sub laeva cernere planta | serpentem poteris“. itaque fieri potest ut „clara óbtinet“ (= Ar. 162 „ἐπελήλαται“) omnino ad versum non attineat. puto equidem post verba „at Capra laevum umerum“ exstitisse parenthesin, quam Aratus quoque praebet (163 Διὶ μαζὸν ἐπισχεῖν), obtinendi verbum vel simile continuisse versum insequentem. nam id quidem certum est et demonstratum iis, quae exposui de synaloepha, Ciceronem summa cum diligentia praeceptis obsequi; neque praeter consuetudinem eum facturum fuisse, ex analogia reliquarum artis legum observandarum apparet, nisi consulto voluisset poetae veteris, Ennii imprimis, dictionem antiquam imitari, quem cum in reliquis rebus metricis, tum in synaloepha adhibenda maiore libertate usum esse constat, quam posteriores. nostro autem loco non habemus, cur Ennii memorem fuisse poetam suspicemur, cum neque ex Ennio neque eius imitatoribus affere possimus, quo teneamur, et cum versus dictio tota pendeat ex Arati verbis (clara = ἱερή, ob — tinet = ἐπ — ελήλαται, laevum umerum = σκαιῷ . . . ὤμῳ.).



Quare ipsum Ciceronem omnium fuisse diligentissimum et constantissimum arbitror in illa lege Nordeniana observanda, non modo iuvenem, sed etiam aetate posteriore. quod tanti esse momenti mihi persuasum erat, ut dignum videretur, cui operam navarem.

His igitur absolutis iam apparet, quibus Cicero usus sit artis normis in hexametris componendis; Ciceronem in quibusdam rebus progressum esse demonstrare conatus sum. quod pertinet ad coloribus depingendam sententiam propius eum ad Ennii hexametrum accedere vidimus, superare veteres in adhibendis caesuris et in pedibus extremis fingendis; maximae certarum legum observandarum consequentiae studere in eo, quod ad pedem quintum dactylicum et ad legem Nordeni pertinet. colligitur vero ex omni quaestione hoc: quandocunque non videtur Cicero in arte versuum componendorum superare veteres poetas, suspicari possumus dictionem quoque Ennii eum imitari, si aliis argumentis niti licet; cum vero demonstrari poterit eum ultra libertatem veterum progredi, aut Ennium imitari aut laudare putandum est, si contra consuetudinem artis leges recentiores negleget.

## 10. de senariis additamentum.

De Ciceronis senariis tam copiose, quam de hexametris agere opus non est, ea quidem de causa, quod versuum copia exigua exstat, senarii centum (duo de)viginti, septenarius unus aetatem tulerunt. quare quamquam non licet mihi prorsus neglegere horum versuum condendorum artem, contentus sum, breviter iis, quibus Ciceronis senarii insignes sunt, enumeratis. Notum est Ciceronis senarios sequi leges Romanas, i. e. in pedibus secundis et quartis non solum iambos, sed etiam spondeos (dactylos anapaestos) cerni. quod ad pedem extremum pertinet, positionem brevi syllaba constare necesse est, elisione, caesura, sublationis solutione, quam appellamus, uti haud licet (nam, quod copula „est“ senarius terminatur, lex salva est, cum vox acclinetur ad praecedentia: F. 37. 1 „oratio est“).

Deinde alterum quoque praeceptum ad extremam senarii partem pertinet, id dico, quo vetatur pes quintus verbo iambico vel verbi clausula iambica contineri; neque enim hunc pedem iambicum esse licebat, nisi si cum sexto pede ita coniunctus erat, ut unum verbum ad utrumque pertineret. quam legem nullo loco Tullius perrupit.

Tum et positionem et sublationem pedis eiusdem solvere poetae scenici non solebant, neque Ciceroni usquam placuit pede proceleusmatico uti.

Porro, si minus spondeum (dactylum anapaestum) secundi et quarti pedis Romani evitabant, tamen eos operam dedisse notum est, ne verbis spondeis (dactylicis anapaesticis) hi pedes explerentur. hanc quoque legem ex omni parte Cicero poeta consecutus est;

nam si opponentur hi versus: F. 39. 1 „nam qui haec aūdīta a docto . .“, F. 34. 2 „quisquam est, qui ălĭōrum aerumnam . . .“, F. 33. 10 „. . . ābsūmptum extabuit“, animadvertendum est haec verba non per se esse spondea (anapaestica), sed per synaloephen. Accedit, quod iam Guil. Meyer commemoravit (p. 1081), inde a Cicerone in his pedibus spondeum quidem exstare, anapaestum rarius occurrere; neque plus sex exempla affere possum e Ciceronis senariis: F. 32. 13 et 26, F. 33. 18, F. 34. 2, F. 36. 1, F. 38 (v. F. 39. 3 pro tradito „exilii“ scribendum est cum editoribus „exili“.

Dein quod ad caesuram pertinet, in omnibus Ciceronis senariis aut in tertio aut quarto pede exstat; caesura semiquinaria sola invenitur in versibus viginti uno, semiseptenaria in versibus novem. septenarius (F. 46) caesura post pedem quartum insignis est, secundum consuetudinem poetarum Romanorum, quamquam subsidiaria caesura post secundum pedem intercedens deest. itaque, quamquam nonnulli versus caesura carere videntur, ut

F. 33. 39 „Erymantiam haec vastificam ab || iecit beluam“,
F. 32. 28 „guttae, quae saxa ad | sidue in || stillant Caucasi“,
F. 33. 10 „sic corpus clade horribili ab || sumptum extabuit“,
F. 33, 43, alib.

revera exstat post praepositionem a voce primitiva divellendam, ceterum id rursum notabile est, quod synaloephe syllabae praecedentis caesuram adiuvare videtur. si semiseptenaria caesura principalis est, coniungi solet cum diaeresi post pedem secundum intercedenti; neque deest diaeresis in novem illis exemplis, quae Ciceronis senarii praebent excepto uno v. F. 31. 3 „siquidem qui tempestivam || medicinam admovens“. quae diaeresis raro occurrit, quinquies tantum exstante caesura semiquinaria sola; quare non dubium est, quin Cicero legis certae sibi conscius fuerit, quam uno tantum loco non potuit consequi, — non quod ad verbum interpretatus sit versus Graecos (Aeschyli Prom. vinct. 378 *„ἐάν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσῃ κέαρ | καὶ μὴ σφριγῶντα θυμὸν ἰσχναίνῃ βίᾳ“*), sed quod memor alterius sententiae, quam cognoverat ex vetere Romanorum tragoedia Graecanica, verba „tempestivam medicinam“ introduxisse videtur, quibus verbis impediebatur, ne caesuram subsidiariam adhiberet.

Tum in prosodia nihil invenitur vetusti; „sĭquĭdem“ pro „sīquĭdem“ adhiberi non inauditum est; lex illa, qua voces iambicae corripiuntur et pro pyrrhichiis adhibentur, vigere desiit. quod vero „mĭhĭ“ (F. 33. 3 „nec míhi Jūnonis terror . .“, F. 42. 1 „si míhi nunc tristis primum . .“, in hexametro quoque F. 9 „nam quasi vos sĭbĭ dedecori genuere parentes“) et „ĕgŏ“ [1]) (F. 51 „ego pro-

---

[1]) quod apud Baehrentem legitur F. 51 “egó providebo rém . .“, pro „ego próvidebo rém . .“, mendum typographicum esse censeo.



videbo rem istam et albae virgines“) in primo pede pyrrhichica adhibentur, hoc quidem a poetis scenicis et epicis omnibus usitatum est.

Denique de synaloepha nonnulla addere mihi liceat, quae in omnibus pedibus praeter primum et sextum occurrit, cum agitur de elisione vocalium rhythmi accentu non praeditorum. Cum vero syllaba sublationis synaloepha insignis est, crebrius invenitur in pede quinto, quam in quattuor primis, neque pedis sexti particeps est.[1]) legis Nordenianae, de qua supra actum est, simile non cernitur. ceterum synaloephe multo crebrius multoque liberius, quam in hexametris adhibetur; nam vocales productae in positione quidem nonnunquam eliduntur: F. 32. 11 „advolátu ăduncis“, F. 32. 16 „véro ădesum“, F. 33. 7 „láteri ĭnhaerens“, F. 34. 2 qui ăliorum, F. 37. 1 „fando oratio est“, (fortasse etiam F. 40. 5 „omni ămicos“,[2]) 41. 4 „generī humano“.[3]) monosyllaba saepius quam in hexametris, synaloepha obscurantur; pronomina „me te se“ novies eliduntur, „qui“ bis (F. 34. 2, F. 39.1), „qua“ F. 39. 5, „tam“ F. 42. 2, „rem“ F. 51.

Ergo senarii, quos Cicero aetate posteriore composuit, iisdem fere artis proprietatibus insignes sunt atque hexametri posteriores, et in eo, quod leges metricae diligentius observantur, et quod monosyllaba elidere minus evitatur. de rhythmi delectu, sonorum imitatione, similibus artis deliciis, hic nihil animadvertendum est; id unum oculos ferit alliterationem evitare Ciceronem in senariis tragicis, quam in hexametris plurimi eum facere supra dixi.

---

[1]) ratio non habetur vocis „est“, F. 37. 1.
[2]) „omnes“ codd.
[3]) „genere“ codd.

## Caput secundum.

# De Ciceronis arte interpretandi.

Quoniam fere omnia fragmenta poetica Ciceronis, quae aetatem tulere, interpretationibus Graecorum constant, disquirere oportet, quas ad normas et quo ingenio converterit Graecos, ut demonstretur, quatenus Ennianam dictionem hic exstare suspicari merito possimus. de genere interpretationis, imprimis Arati carminum, iam ante me multi scripserunt multa: olim Hugo Grotius notas ad Ciceronis Aratea fecit in editione Arati; postea cum alii, tum Buhlius (in editione Arati). quae huc pertinent, omnia ex Grotio hauserunt; sequuntur Claveli aliorumque Francogallicorum opera, dissertationes Grollmusii, Siegii, Meybaumii, programma Mollii. quare omnia fere collecta sunt, quae erraverit, quae apposuerit, quae omiserit, quae aliter atque nos in Arato legerit. itaque cum ductus quaestionibus priorum curas denuo navarerim, de genere et arte interpretandi iudicare nihil praebet difficultatis.

### 1. De erroribus.

Pluribus locis atque arbitreris Cicero verba Arati non intellexit: cf. praeter ceteros Meybaumii [1]) et Mollii [2]) dissertationes. equidem unum addam exemplum ad multa ab aliis explicata. agitur vv. 250 sqq. de orbi lacteo ceterisque orbibus caelestibus; interpretatur Cicero his:

„is non perpetuum detexens conficit orbem, Aratum v. 477 sq. *τῷ δ' ἤτοι χροιὴν μὲν ἀλίγκιος οὐκέτι κύκλος.*

sed spatio multum superis praestare duobus *δινεῖται· τὰδὲμέτρα τόσσοι πισύρων περ ἐόντων.*

dicitur et late caeli lustrare cavernas“. *οἱ δύο, τοὶ δέ σφεων μέγα μείονες εἱλίσσονται.*

apparet Ciceronem *οὐκέτι* ad substantivum *κύκλος* pertinere ratum de orbe non pleno agi putavisse, cum Aratus scripserit hoc modo: „alium orbem, qui *τὴν χροιὴν* (h. e. latitudinem, Germanice „breite Fläche“) orbis lactei adaequet, haud inveneris, sed *τὰ μέτρα* sive

[1]) l. s. s. p. 8 sqq.
[2]) l. s. s. p. 12 sq.



*τὸν διάμετρον* (h. e. magnitudine lineae dimetientis) ex quattuor orbibus duo quidem inter se aequales sunt, duo minores“; nam de bis binis orbibus supra Aratus egit. quanta errorem Ciceronis secuta sunt! convertit enim verba, quae aliquid significare intellexit; „*πισύρων περ ἐόντων*“ omitti posse arbitratus est, „*τὰ δὲ μέτρα*“ falso intellexit (= sed spatio), cum *οἱ δύο* ei orbes significari viderentur, de quibus actum erat v. 468 (= Cic. 244), posuit in versu „superis duobus“, qui cum *μέγα μείονες εἱλίσσονται*, putavit ergo multum praestare duobus orbem lacteum. quid? nonne ipsi confessio excidit se Arati verborum nihil intellexisse, nisi quod de orbibus iam supra actum sit, cum apponeret illud „dicitur“; sed versus nondum plenus est, itaque, quandoquidem in caelo sit lacteus orbis, quid haesitet poeta divinus? „et late caeli lustrare cavernas“: Ennium imitatus, alliteratione et rhythmo gravi usus cum magnificentia et laude quasi pedem ex laqueo expedivit. ita officinam Ciceronis ingressi nihil invenimus doctrinae astronomicae, quamquam arte insignem esse Ciceronem concedimus.

Atque omnino argumenti Cicero inscius erat, quod optime demonstratur loco famoso, ubi Aratum ad novam carminis partem transire non sensit adulescens: Cic. 96—101, qui versus quam non respondeant ad Aratum, vel quam male depravent Arati verba, iam Scaliger agnovit (cf. Grot. ad l. et Schol. Arat. 319). nam poeta Graecus, postquam sidera, quae a zodiaco in septentrionalem regionem spectant, tractavit, ad stellas transit regionis australis vv. 319—321. quos versus cum omnino non intellegeret interpres, a Delphino fortiter pergit ad Oriona versum incohans a voce „exinde“: ergo, si zodiacum oculis dimetimur, a Capricorni regione ad Taurum traducimur per vocem „exinde“. quod Ciceroni non excidisset, si aliqua ex parte astronomiae peritus fuisset. — ceterum Aratus Oriona primum tractat eadem de causa, qua in stellis septentrionalibus tractandis arctum, signum videlicet notissimum.

Quod pertinet ad reliquos locos, quibus demonstrare facile est Ciceronem argumenti astronomici inscium fuisse, rursus e multis unum eligam, quem priores non attulerint, quamquam ars Ciceronis in eo cernitur. studet enim Cicero sidera, quae vulgo nomine animalium appellantur, quibus corpus esse dicitur, omnino quasi animalia introducere, ut agant et patiantur. quod studium per se laudabile est et poeta dignum: fit vero interdum, ut fere videatur Cicero ignorare, qualia corpora sideribus tribuantur. apud Aratum scriptum videmus 283 „*πὰρ δ' ἄρα οἱ κεφαλῇ χεὶρ Ὑδροχόοιο | δεξιτερὴ τετάνυσθ'* . . .“, ille cum agentem facere Aquarium studeat, convertit: 56 „huic (equo) cervix dextra mulcetur Aquari“. Aquarius igitur equi cervicem dextra manu mulcet. quid? nonne eundem eadem manu „amnem rigare“ ipse infra exponit poeta? (v. 173) qua neglegentia, quam ignoscere debemus, aperte demonstratur poetam sideris formae ignarum fuisse.

Sed uno loco melius Arato astronomia imbutus videtur Cicero. inde a v. 464 videmus interpretem Arati narrationem optime in ordinem digerere. verum ne hoc quidem Ciceronem propter scientiam astronomiae facere potuisse, eo demonstrari puto, quod aliis locis vitia aut codicis, quo utebatur, aut ipsius Arati neque agnovit neque correxit; exemplum afferre liceat: v. 355 „nec totus tractus ad umbras". Piscis notius dicitur, atque falso in Ciceronis codice Arati pro *„αὐτὰρ Γνὺξ ὄπιθεν"* exstitit *„αὐτὰρ ὁ γ' ἐξόπιθεν"* (cf. Maassium in adn. crit. ad Ar. 575 et in Herm. XIX, 1884 p. 110 sqq.). scire debebat Cicero Piscem notium aliquantum tempus post Nepam exortam occidere. accedit, quod ei loci, quibus magis recedere a verbis Arati Ciceronem videmus, nunquam ad argumentum astronomicum pertinent, sed ad fabulas, quae tanguntur, ad considerationes similia.

## 2. De variationibus.

Hanc occasionem non praetermitto demonstrandi, quibus locis et qua de causa Cicero ab Arati verbis recesserit, atque quo vertere orationem amaverit. primum quidem in medium proferam graviora, quae addidit aut omisit.

Non raro ea Cicero non convertit, quae supervacanea et inutilia censuisse videtur, imprimis interclusiones quasdam et rerum repetitiones. interdum pro interclusione omissa aliam addit, cf. Cic. 18 sq. = Ar. 246 sq. „Andromedae laevo ex umero, si quaesere perges, *Ἀνδρομέδης δέ τοι ὦμος ἀριστερὸς Ἰχθύος ἔστω*, adpositum poteris supra cognoscere Piscem. *σῆμα βορειότερον, -μάλα γάρ νύ οἱ ἐγγύθεν ἐστίν.*" aliis locis versus expletur omne genus epithetis, quae desumere ex veteribus poetis, Ennio imprimis, videtur; cf. Cic. 57 sq. cum Ar. 284 sqq.:

> *„. . ὃ δ' ὀπίστερος Αἰγοκερῆος*
> *τέλλεται· αὐτὰρ ὅγε πρότερος καὶ νειόθι μᾶλλον*
> *κέκλιται Αἰγόκερως, ἵνα ἴς τρέπετ' ἠελίοιο"*;

Cicero qui verba *ὃ δὲ · · τέλλεται* pertinere falso putat ad Equum, non ad Aquarium, duo enuntiata: *„ὃ δ' ὀπίστερος . ."* et *„πρότερος κέκλιται . ."* in unum contrahit versumque exornat dictione Enniana hocmodo:

> „serius haec obitus terrai visit Equi vis,
> quam gelidum valido de pectore frigus anhelans
> corpore semifero magno Capricornus in orbe."

verba „equi vis" et „corpore semifero" infra demonstrabitur Enniana esse; de cetera dictione non secus erit iudicandum. (non ex omni parte Clavelus eadem sententia fuerit, cum scriberet in libro de Cicerone Graecorum interprete p. 23 „quis enim dubitet, quin Cicero, si non Pacuvium, Ennium certe magistrum ditandi sermonis habuerit, quum haec scripsit epitheta, quorum aliquot a Marone recepta cognovimus"; in quibus epithetis enumerat „se-



mifer". nam cum Clavelus putet ipsum Ciceronem finxisse epitheton, ego demonstrare conabor effici posse ex eo, quod Vergilius[1]) dictione Ciceroniana utitur, ut Cicero hauserit ex Ennio.)

Denique Cicero totos versus interdum omittit, quibus nihil novi exhibetur, cf. 247 „nec pleno stellas superat cum[2]) lumine luna" cum

> Ar. 471 sq. *„οὐδέ τις ἀνδρανέων φέρεται διχόμηνι σελήνῃ,*
> *ἀλλά τά γε κνέφαος διαφαίνεται ὀξέα πάντα"*,

de ceteris autem locis, quibus aut versum aut interpositionem aut alia membra convertere omisit, conferenda est Mollii dissertatio s. l. p. 13 sqq.

Iam quae addiderit ad Arati verba videamus. primum quidem non raro de fonte Graeco, unde hauserit, loquitur, neque vero aliquod nomen affert, sed „veteres" et „Graecos" auctores appellat, cum toto versu apposito, tum additis verbis „apud Graios", similibus, cf. Ph. 6 cum Ar. 36: „ex his altera apud Graios Cynosura vocatur", *„καὶ τὴν μὲν Κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι"*; Ph. 13 „quem claro perhibent Ophiuchum nomine Grai", v. 5 „Deltoton dicere Grai | quod soliti, simili quia forma litera clarat", cum in Arato solum sideris nomen exhibeatur. causa, cur Cicero haec verba explicationis gratia apposuerit, ea esse videtur aperte, quod his locis pro nominibus Graecis Latina non introduxit aut introducere non potuit. sed notabile videtur eadem dictione „quem perhibent Grai", simili, iam veteres poetas epicos et item posteriores usos esse, exempla conferas pauca ex multis:

Enn. a. 147 sq. „. . . obnixa volabat | vento, quem perhibent Graium genus aera lingua",
Lucr. VI. 908 „quem Magneta vocant patrio de nomine Grai",
Verg. Aen. I. 530 „est locus Hesperiam Grai cognomine dicunt",

quo versu aperte imitatur Ennium (a. 23 „est locus Hesperiam quam mortales perhibebant").

His vero cum appositis cohaerent ea, quibus ut homo Romanus Romanorum condicionem Graecis opponit; quod non fit, nisi cum de rebus agitur omnibus cognitis, cf. Ph. 5 „quos nostri septem soliti vocitare triones", atque v. 317 sqq.

> „Zodiacum hunc Graeci vocitant, nostrique Latini
> orbem signiferum perhibebunt nomine vero,
> nam gerit hic volvens bis sex ardentia signa",

cum Ar. v. 544 *„Ζωίδιον δέ ἑ κύκλον ἐπίκλησιν καλέουσιν"*,

ex uno cum faceret tres versus, poeta dictionem veterem adhibuisse videtur. primum de verbis „Graeci vocitant" et „perhibebunt" modo actum est; dein patriae linguae proprietatem Grae-

---

[1]) cf. Aen. X. 212 „spumea semifero sub pectore murmurat unda".
[2]) „superat cum" Baehr., „superaret" codd.

corum verbis opponere iam veteres poetae soliti esse videntur, siquidem Ennium secutus est Lucretius, cum scriberet I. 830 sqq. „homoeomerian, | quam Graeci memorant, nec nostra dicere lingua | concedit nobis patrii sermonis egestas“, et VI. 297, qui locus cum Ciceroniano comparari potest: „igneus ille | vertex, quem patrio vocitamus nomine fulmen“. tum nomen orbis signiferi haud scio an Cicero ipse non fecerit, quod puto aut in schola eum didicisse aut in Ennio aliove poeta veteri legisse (cf. compositiones Ennianas „ignifer, signipotens“). neque enim ullius momenti esse puto quod Cicero forma futuri „perhibebunt“ posita simulat se ipsum invenisse nomen, contra quod Lucretius quoque zodiacum eodem nomine appellat (V. 691), verisimile mihi quidem est non ex Cicerone, sed Ennio eum haurire, quam ad sententiam qua ducar, infra demonstrandum erit. denique carminum epicorum proprium est numerale antiquum „bis sex“ olim exstans pro duodecim (cf. Enn. a. 323, Lucr. Verg.).

Neque vero nunquam poeta aliquid apposuit rei explicandae causa, atque si minus cum de ipsa doctrina astronomica agitur, tamen in fabulis narrandis, quae de nominibus siderum perhibentur, et omnino quocunque loco de rebus communibus et vulgaribus, velut de tempestate maritima, agitur. quare non mirum est Ciceronem in Diosemeis convertendis multo minus ad verbum convertere Aratum, quam in Phaenomenis, ita ut facilius Ennianae dictionis flosculos ostentare possit, facilius exornationibus rhetoricis uti, depingere sententiam rhythmis et sonis, alliteratione et anaphora auditorem captare. in his, dico, inveniuntur plurima apposita, cf. fabulam Orionis, Phaethontis sororum. unde vero hauserit ea, diversa suspicari possumus: nam, si Cicero aliis fontibus astronomicis Graecis usus sit, — quam sententiam proferri posse Meybaumius explicat p. 14 sq., — fabulas certe ex iisdem hauserit. sed nego iis, quae ille attulit l. s., effici posse, ut Cicero ex alio fonte hauserit. quare dubito, utrum censeam notitiam fabularum in scholis assecutum esse, an ex fontibus Alexandrinis aut Rhodiis hausisse Ciceronem, quorum aut memor fuerit aut quos in interpretando carmine Arati comparaverit.

Porro quod pertinet ad res communes vulgaresque, quibus in convertendis magis recedere ab Arati verbis Ciceroni placuit, exemplum eligam:

v. 69—71 „sed tamen insani labuntur tempore toto,
nec vi signorum cedunt neque flamina vitant,
nec metuunt canos minitanti murmure fluctus“.

hi enim versus ad verba Arati respondent hactenus: (Ar. 294 sq.) „*ἀλλὰ καὶ ἔμπης* | *ἤδη πάντ' ἐνιαυτὸν ὑπὸ σπείρῃσι θάλασσα* | *πορφύρεει*“; reliqua omisit interpres atque aliter orationem vertit. quae addidit, insignia sunt exornationibus rhetoricis; praeter alliterationem (tamen tempore toto, nec vi neque vitant, metuunt minitanti murmure) cernitur imitatio sonorum „metuunt minitanti m u r- m u r e fluctus“, anaphora vocis „nec“, periodi membrorum certus ordo, iunctura, numerus:

primum membrum: „sed tamen . .“,
alterum, duo incisa continens: „nec . ., neque . .“,
tertium: „nec . . .“.

(tria membra inter se aequalia singulis versibus continentur, duo incisa rursus aequalia septenarum sunt syllabarum, verborum ordo aequalis, numeri contrarii: ⏓ ˈ⏓ | = ⏓ ⏓ | = ⏓ ‖.) itaque cum elegantia rhetorica oratio conficitur, neque in numeris quidquam duri cernitur. itaque Cicero ostentaverit *τόπον* rhetoricum sibi promptum, quem apud Horatium non semel occurrere notum est, cf. od. I. 3. 9 sqq.

„illi robur et aes triplex
circa pectus erat, qui fragilem truci
commisit pelago ratem
primus, nec timuit praecipitem Africum
decertantem Aquilonibus,
nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti“,

quorum verborum ordinem et iuncturam consimilem ac paene aequalem esse periodi Ciceronis oculos ferit. similiter rem se habere suspicor hoc quoque loco:

v. 116 „nam quorum stirpis tellus amplexa prehendit,
haec augens anima vitali flamine mulcet;
at quorum nequeunt radices findere terras,
denudat foliis ramos et cortice truncos“.

Aratus vero scripserat

v. 334 „*ῥεῖα γὰρ οὖν ἔκρινε διὰ στίχας ὀξὺς ἀίξας*
*καὶ τὰ μὲν ἔρρωσεν, τῶν δὲ φλόον ὤλεσε πάντα*“.

Cicero igitur alterius versus convertendi labore supersedit, alterum rhetorice produxit; quod temere factum esse non potest; in compositione leges rhetoricae observantur, a verbis „nam quorum“ et „at quorum“ oriuntur *δίκωλα* opposita, utriusque membrum alterum sententiam secundariam pronomine relativo praeposito, alterum sententiam primariam duobus incisis constantem; sententiae secundariae aequali structura sunt. itaque hic quoque aut latere *τόπον* rhetorum discipulis promptum suspicor, aut Ciceronem ostentare data occasione artem rhetoricam.

Quod Mollius p. 15 inter ea, quae addiderit rhetorico verborum strepitu insignia, etiam versus 320—331 numerat, equidem ostentationem rhetoricam apparere negaverim, cum neque artificiosam compositionem neque anaphoras neque antithesis inveniam. contra his ipsis versibus demonstratur, quid sentiendum sit de singulis verbis et flosculis dictionis poeticae additis, cum sideribus ab Arato enumeratis singulos Cicero versus tribuerit, ita quidem, ut speciem versuum memorabilium praebeant: nomina enim

siderum Cicero, quantum potuit, in fine versus reposuit, praeterea quam maxime variavit verba stellarum fulgorem significantia.

v. 320 „aestifer est pandens ferventia sidera Cancer“.

adiectivum „aestifer“, sicut reliquae compositiones in syllabam — fer exeuntes, a poetis veteribus factum esse videtur; cf. Lucretium, Ennii imitatorem (I. 663) „aestifer ignis“; Cicero eodem adiectivo utitur: 111 „aestiferos validis erumpit flatibus ignis“, quo loco flosculi speciem dictio praebet, ut apud Lucretium, cum Aratus nihil eiusmodi exhibeat. ad dictionem „pandens ferventia sidera“ cf. Lucr. V. 628 „fervida signa“, et verbum pandendi V. 657.

v. 321 „hunc supter fulgens cedit vis torva Leonis“.

verba extrema speciem flosculi Enniani praebent, eo magis quod circuitionem Homericam Ennius imitatus in poesin Latinam introduxit; ceterum Lucretius quoque vim leonis exhibet III. 296. „fulgens“ vox inanis est, stellarum propria.

v. 322 sq. „quam rutilo sequitur conlucens corpore Virgo.
exim proiectae claro cum lumine Chelae“.

en aliae voces fulgorem significantes, inanes fere, quas alliteratione exornare studuit.

v. 324 „ipsaque consequitur lucens vis magna Nepai“.

clausula Ennianam poesin redolet, non solum propter circuitionem, sed etiam genetivum antiquum. „lucens“ alia vox fulgorem significans.

v. 325 „inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum“.

numeros versus extremi ex Ennio pendere (cf. vocem pyrrhichiam in pede quinto) supra dixi.

326 sq. „post hunc ore fero Capricornus vadere pergit;
umidus inde loci conlucet Aquarius orbe⟨m⟩“.

flosculi sunt „ore fero“ et „conlucet orbe“; coniunctione „inde loci“ apud Ennium et Lucretium exstanti veterum dictionis colorem sequitur; praeterea cf. supra p. 22.

328 „exim squamigeri serpentes ludere Pisces“.

„sqamiger“ compositio Enniana esse videtur, quam Lucretium quoque recepisse cognoverimus (cf. I. 362, 372, 378, II. 343, 1082 alibi)

329 „quis comes est Aries, obscuro lumine labens“.

„obscuro lumine labens“ voces fere inanes sunt, quamquam alliteratione iunguntur atque in versus fine.

330 „inflexusque genus[1]) proiecto corpore Taurus“.

participium absolutum „proiecto corpore“ ex eodem loco Enniano profluxerit, ex quo Vergiliana dictio pendet (Aen. XI. 87) „sternitur et toto proiectus corpore terrae“, qui, ut similiter cadens evitaret,

[1]) „inflexoque genu“ codd.



participio coniuncto usus est. siquidem recte Ennium fontem esse diximus, apparet Ciceronem verba ab alia re ad aliam transferre; nam Vergilius l. l. Ennium imitatus — de rebus bellicis agit.

331 „et Gemini clarum iactantes lucibus ignem“.

memorem fuisse Ciceronem loci Enniani arbitror, unde Lucretius hausit, cum scriberet (VI. 389) „et iaciunt ignes“, quamquam id significans, quod Cicero: (F. 3.38) „iniecit sedibus ignes“ (sc. Juppiter). praeterea cf. Cic. Ph. 27.2 „exiguum iaciunt mortalibus ignem“ cum Arati v. 166, quem interpretatur: „. . *λεπτὰ φαείνονται*“. „clarum“ vero et „lucibus“ voces inanes.

In versibus quae sequuntur, quamquam magis Arati verbis interpres tenetur, tamen plura insunt, quae Ennium imitatus variaverit (cf. „convestit lumine lustrans, lustrantes lumine mundum, vertenti tempora cursu“).

Hos versus tractavi, ut appareret, unde hausisse Ciceronem putarem, si interpretatus Aratum quae verba addidit vel alio orationem vertit. nam ut de his, ita de ceteris quoque iudicandum erit, in quibus Cicero paulum recedit ab Arato: aut apposuit, quasi ut plenus fiat versus, voces fere inanes (lucens, fulgens, lumine, lucibus, claro corpore, similia), aut flosculis utitur desumptis ab Ennio. cum datur occasio eius imitandi, non dubitat memorem se praestare et peritum carminis epici patrii: cf. Ar. 20 *ἕλκονται πάντ᾽ ἤματα συνεχὲς αἰεί* cum Cic. Ph. 3.2 „. . noctesque diesque feruntur“, quam dictionem Ennius in hexametrum introduxit, posteriores recepere; Ar. 321 „*μεταξὺ νότοιο καὶ ἠελίοιο κελεύθου*“ cum Cic. 101 „spiritus Austri“, quibus de locis et reliquis, qui huc pertinent, infra agetur, cum Ennium fontem poeticae dictionis Ciceronianae esse singula persecutus demonstrabo.

Denique ne hoc quidem in levioribus verbis ab interprete appositis vel commutatis nihili faciendum est, quod Cicero studet sidera, quibus animalium forma esse dicitur, quam maxime facere agentia et patientia, tum quoque, cum idem studium in Arato minus cernitur; cf. Ar. 148 „*ποσσὶ δ᾽ ὀπισθοτέροισι Λέων ὑπὸ καλὰ φαείνει*“ cum Ph. 23.3 „magnus Leo tremulam quatiens e corpore flammam“;

Cic. 51 sq. „(Ales) sed mediocre iacit quatiens e corpore lumen,
haec dextram Cephei dextro pede pellere palmam
gestit. iam vero clinata est ungula vemens
fortis Equi propter pinnati corporis alam“,

cum Ar. 279 *οὔριος εἰς ἑτέρην φέρεται, κατὰ δεξιὰ χειρός
Κηφείης ταρσοῖο τὰ δέξια πείρατα φαίνων,
Λαιῇ δὲ πτέρυγι σκαρθμὸς παρακέκλιται Ἵππου*“.

quod versus Cic. 51 non respondeat ad Ar. 278, Grotius[1]) iam

[1]) Grotii adnotationem ad verbum recepit olim Buhlius, qui non minus male Aratum intellexit, cum in versione Latina inter se confunderet *οὔριος* et *οὐραῖος*.

suspicatus est interpretem non intellexisse Aratum, quae opinio mihi quoque probatur, quia hoc versu apparet studium illud animandi et — dictio Enniana:

v. 110—112 „(Canis) haut[1]) vero toto spirans de corpore flammam
aestiferos validis erumpit flatibus ignes,
totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor“,

cum Ar. 328 „*ποικίλος, ἀλλ' οὐ πάντα πεφασμένος· ἀλλὰ καὶ αὐτήν
γαστέρα κυάνεος περιτέλλεται, ἣ δέ οἱ ἄκρη
ἀστέρι βέβληται δεινῷ γένυς, ὅς ῥα μάλιστα | σειριάει*“.

Conferas etiam, quomodo canem fugiens Lepus describatur a Cicerone et ab Arato, ille enim 121 sq. „hic fugit ictus ⟩ horrificos metuens rostri tremebundus acuti“, hic v. 339 „*ἤματα πάντα διώκεται*“. exempla, quae ex multis attuli, unde demonstraretur Ciceronem animare et agentia facere sidera, omnia insignia sunt dictione Enniana. quod enim Leo et Aquila dicuntur e corpore flammam quatientes iacere, conferendus est locus, quo idem de Equo dicitur (Ph. 32. 4): „iubam quatiens fulgore micanti“; cuius versus dictionem si comparaverimus cum Enn. a. 517 et cum loco supra tractato (331 „iactantes lucibus ignem“) apparebit, unde hauserit Cicero. eadem imitatio Ennii etiam reliquis locis occurrit, quicunque praeter allatos afferri possunt. singula vero persequi nunc meum non est, cum id spectem, ut demonstretur suspicari nos posse Ciceronem non multum ab Arati verbis regressum etiam iis locis ex veteribus poetis sermonem haurire, quibus sidera animare studet. quod mirum non est; nam Ennii, qui arma imprimis populi Romani carmine celebravit, res fortiter gestas, virtutem peditum et equitum, dictionem transfert ad ea, quae carmine tractaverat Aratus; quo fit, ut alterum sidus alterum persequatur, aliud faces coniciat, aliud mare transvehat, aliud percellat hostis brachium, aliud equi iubam mulceat.

Haec habui, quae de arte interpretationis Arati carminis proferrem; summam si addere licet, haec ex iis, quae dicta sunt, colliguntur: primum cum Cicero verba addit, non de suo ingenio ea sumpsit, nisi quae ad fulgorem stellarum pertinent epitheta inania, sed Ennianam dictionem praebere videtur. idem censendum est de eo sermone, quo utitur pro aliis Arati verbis. tum vero, si Cicero sidera animat et agentia facit sine Arati auctoritate, eo verisimilius est rursus eum imitari Ennium, quo magis dictio de rebus cum bello et re militari cohaerentibus sumpta est.

De Ciceronis periodis cum compositione Arati comparandis agere omisi, quod parvi momenti esse sperabam in demonstrandis fontibus sermonis poetici. Cicero compositione Arati videtur minus teneri; saepius utitur hypotaxi, quam parataxi, participia praesentis coniuncta et absoluta neque evitat, neque cum studio adhibet, membra periodi ad rhetorum praecepta raro tantum fingit.

[1]) sec. Baehr., codd. „at“, „et“.



Ac quoniam exposui, qualis sit interpretatio Arati, pauca de ceteris Graecorum interpretationibus addam. nam cum in reliquis eadem cernatur ars convertendi atque in Arateis, non inveniuntur errores neque vitia, sed quantum video, verba Graecorum recte intellexit, neque habuit, ut in illis, cur occasione data, cum de rebus communibus agebatur, magis recederet ab eo, quod convertendum erat. quare diligentius interpretatus est, tragicorum imprimis versus, in Homeri locis convertendis compositionem, quam plurimum potuit, retinendam esse putavit (cf. Clavel. p. 53, qui exempla affert „*τλῆτε φίλοι*“ = ferte viri, „*εἰ γὰρ δὴ*“ = namque . . ., „*οὓς μὴ κῆρες*“ = qui non funestis, alia multa). sed in ipsis his versibus Homeri multum latet poeseos Ennianae. neque mirum est eos sermone antiquo et veterum poetarum proprio magis esse insignes, quam Aratea. nam argumentum primi carminis epici Latini Homericum erat; Livius Andronicus Odysseam converterat metris saturniis, deinde veterum carminibus heroicis agebatur de iisdem fere rebus, de bellis rebusque fortiter gestis, de deorum benignitate atque iniquitate in proeliis committendis; quorum carminum conditores Homeri sermonem imitari studuisse, praesertim ex quo hexametris utebantur, notum est. an aliunde factum esse putemus, ut magna vis verborum compositorum, quae poetarum veterum propria est, neque in prosae dictionis altiore neque cotidiano sermone neque in carminibus temporum posteriorum occurrit, nisi cum plane appareat veterum illorum imitatio, ad Homeri verba composita respondeat? satis cognitum est poetas Latinos ditasse sermonem patrium, cum Graecos aut converterent aut imitarentur, cf. Claveliani libri caput II, p. 7 sqq., quo agitur, „quomodo veteres poetae Graecos interpretando aut imitando sermonem Latinum ditare tentaverint“; Clavelus vero cum putaverit Ciceronem idem fecisse atque veteres, i. e. ipsum verba composuisse ad Graecorum exemplum, equidem alia sententia sum. nam video Ciceronem, ut in Arateis, ita in his versibus interpretandis Ennii veterumque sermonem imitari, compositiones quasdam aut apud Ennium aut eius imitatores inveniri, aut ex versu Homerico, quem interpretatur, omnino non pendere. qua de causa iure mihi videor suspicari Ciceronem omnes sermonis flosculos ex veteribus Latinis desumpsisse. nam qui potest fieri, ut in his ipsis versibus magis, quam in Arateis, epitheta ornantia, synonyma unius verbi vice posita, aliae exornationes, non cum locis Homeri, quos interpretatur, sed cum poesi Enniana congruant? Ciceronem ergo sermonem epicum ditasse nego, secutum esse dictionem a veteribus poetis conditam et ditatam interpretando Homerum ceterosque Graecos dico, qua uti eo magis oportebat, quod argumentum non praeceptis constabat sed eodem fere pertinebat, quo vetustiora illa carmina Romanorum. quare cum causa, cur interpretationes Homeri plus, quam Aratea, redolere sermonem veterum poetarum videantur, non prorsus pendeat ex poeta ipso, altera afferenda est subiecta arbitrio poetae. Ho-

merus enim fons et initium poeseos putabatur. Graecorum primus et veterrimus poeta. talis viri si quis verba reddere conatur, qui potest arte insigniorem se praestare. quam sermonem exornando antiquitate et prisca dictione? iam supra hanc legem tetigi (p. 28 sq. ad F. 52); nunc commemoro etiam nostra aetate eandem vigere legem. (cf. Klopstockium, Rich. Wagnerum, Freytagium, Jordanum, alios).

Atque in interpretationibus Homeri maiorem cerni imitationem Ennii veterumque poetarum, quam in Arateis iure me dixisse argumento confirmetur versibus nonnullis F. 22 (ex Iliad. B. 299 sqq.):

v. 1 „duri labores“, cf. Enn. a. 345 „duri ⟨finis⟩[1] laboris“,

v. 2 „queamus“, forma prisca,

v. 3 „pectoris orsus“; quem genitivum adhibere Catullus in deliciis habuit, neque ipse invenit periphrasin, cum Ennius creberrime utatur eadem, cf. ex pluribus exemplis a. 19 „divinum pectus habere“, a. 381 „audaci cum pectore“.

v. 4 „memori . . . mente“; haec quoque periphrasis et apud Ennium et alios poetas veteres saepius adhibetur.

v. 5 „lumina liquerunt“; dictio metonymica Enniana est, cf. p. 68.

v. 6 „vestita est classibus Aulis“; metaphora Ennio debetur, cf. p. 68.

v. 7 „cladem pestemque“, quae synonyma (similiter cadentia) pro Homeri *κακὰ . . . φέρουσαι* Il. B. 303 posita cum verbis Ennii comparare licet, qui scripsit in Alexandro „exitíum Troiae péstem Pergamo“ (sc. 46).

v. 8—9 „aurigeris tauris“, compositum priscum vix a Cicerone genitum est, quod ex Homeri loco, quem interpretatur, non pendet (Il. B. 306 „*τεληέσσας ἑκατόμβας*“),

„divum numina“; periphrasis veterum poetarum propria est, cf. p. 73.

v. 10 „platano umbrifera“; compositionem videri Ennianam infra demonstrabitur p. 79.

„fons aquai“; genitivo secundum veterum consuetudinem ficto utuntur veteres et Lucretius et Vergilus fortasse.

haec quidem frequentia verborum de poesi veterum et in his versibus et in reliquis apparet, cf.

v. 18 „genitor Saturnius“, — vide p. 63;
v. 19 „formavit tegmine saxi“, — v. p. 73;
v. 20 „mirabile monstrum“, — v. p. 78, 66;
v. 21 „in mediis versarier aris“, (infinitivus antiquus)
v. 22 „fidenti voce locutus“, v. p. 64 sq.; etc.

omnia enumerare nunc meum non esse puto, sufficit me demonstrasse exemplis, quam frequenter occurrant, quae Cicero assumpserit ex Ennio et indicavisse huius frequentiae causas.

---

[1]) add. Bergkius, quem Vahlenus sequitur, „pausa“ scripsit olim Dousa.



Itaque, quod colligitur ex duobus capitibus, quae scripsi, animadvertendum est Ciceronem a veterum artis metricae legibus magis magisque recedere, dictionem poeticam Ennii consequi et novis poeseos formis aptare magis magisque studere.

---

## Caput tertium.

# De Ciceronianae dictionis arte.

Iam cum iis, quae adhuc explicare conatus sum, artis poeticae Ciceronianae leges et consuetudines quales sint, appareat, quae bene cognoscamus necesse est, ut recte iudicare possimus de relatione inter Ciceronem et Ennium cum iis, qui dictionem eius consecuti sunt, intercedenti, ad demonstrandos et enumerandos locos nunc transeam, ex quibus merito colligatur fontem dictionis Ciceronianae Ennium esse. Ciceronem cognovisse annales atque sermoni Enniano imitando studuisse in suis carminibus condendis nostra aetate constat nec pro gravi auctoritate illius poetae epici principis, qua fuit in posteriores, non modo poetas et historicos, sed omnem populum Romanum, alienum est. iam Gellium (XII. 2) habemus testem ex Ennio pendere Ciceronem poetam, nuper Skutschius in Wissowae encyclopaedia s. v. „Ennius“ p. 2614 sq. demonstravit argumento usus quibusdam locis Ennii et Ciceronis communibus; neque aliter censuisse video Usenerum[1]) et censere Nordenum,[2]) qui ex dictione Vergilii et Ciceronis communi efficiunt, ut Ennius sit utriusque fons. quamquam Nordenus quidem Munronis sententiae non repugnandum esse putat Lucretium, quem imitari quam maxime Ennium inter omnes constat, Ciceronis Aratea legisse iisque usum esse. itaque sermonis Lucretii duplex fons statuendus esset, Ennius et Cicero, sicut Vergilii, Ennius et Lucretius.[3]) quo fit, ut primum disquirendum sit, quae relatio inter Ciceronem et Lucretium intercedat.

### 1. De Lucretio Ennii, non Ciceronis imitatore.

Lucretium pendere ex Ennio notum est; quid huic debuerit ille, a Pulligio[4]) explicatum est, qui quosdam locos Ciceronis cum Lucretio-Ennio comparat, neque quid sentiamus de communitate

---

[1]) in Mus. Rh. LVI, 1901, p. 313.

[2]) p. 367 sq. et 364.

[3]) praeterea Catullus quoque auctor dictionis interdum est, et item alii poetae, non tam im Aen., quam in geo. et bucol.

[4]) „Ennio quid debuerit Lucretius“, diss. Hal. 1888.

edocet. Vahlenus[1]) quoque demonstravit Lucretium si oratio altius assurgat a praeceptis philosophicis ad sublimitatem poeticam, Ennium sequi.

Lucretium adulescentuli Arateis usum esse Munro primus edocuit, ut dixi; cf. eius notas p. 299 sqq. et locos, quos argumento esse voluit p. 596 ad. V, 619. qui versus in quinto libro Lucretii inveniuntur, raro aliorum librorum locos comparandos affert Munro; quod cave ne putes fortuito factum esse. versibus enim Lucretianis de eadem re agitur atque Ciceronianis (inde a v. 223), de caeli siderum, solis, (lunae), motu. itaque si stabimus a Munronis sententia, eum tantummodo sermonem Lucretium ex Ciceronis Arateis desumpsisse nobis putandum est, qui ad astronomian pertinet. atqui exstant loci ad res caelestes et astronomicas non pertinentes Lucretii et Ciceronis communes; quos fluxisse ex communi fonte Latino existimare debemus. is autem Ennius putetur necesse est; cui quid debuerit Cicero, infra erit enumerandum (p. 60 sqq.), quid Lucretius, dissertatione Pulligii demonstratur. itaque cum in reliqua dictione poetica Ciceronis et Lucretii exstaret communis fons, in iis, quae ad astronomian pertinent, hic illum secutus esset. sed nonne haec relatio admodum mira est? nullusne exstat versus Ciceronis, cuius dictionem et ex Ennio fluxisse eius carminum reliquiis demonstrare et cum Lucretii verbis congruere videre possimus? hoc si poterimus demonstrare, haudquaquam putandum erit Lucretium haurire ex fonte secundario, qui bene noverat primarium et imitari studebat. equidem alienum esse censeo Lucretium admiratorem, imitatorem, laudatorem Ennii dictionem poeticam haurire ex adulescentuli carmine non nimia virtute poetica insignis.

Accedit, quod et in reliquis libris Lucretii, et in ipso quinto flosculi inveniuntur ad rem astronomicam pertinentes, quos non ex Cicerone, sed Ennio sumptos esse demonstrari potest. cf. V. 683 „aetheris oras" cum Enn. sa. 4. V. 604 „solis ab igni" cum Enn. var. 52 „de sole sumptus ignis", quam dictionem Ennianam Cicero non recepit. dein Lucretius exhibet V. 432 „hic neque tum solis rota cerni lumine largo | altivolans poterat . . ." (V. 564 „solis (maior)rota"). Ennium scripsisse traditum est (a. 558) „inde patefecit radiis rota candida caelum", quo loco solis rotam esse intellegendam apparet; atque etiam si quis negat solis genetivum verba tradita insecutum esse, tamen dubium non est, quin metaphora eadem sit. itaque quod Cicero eodem tropo utitur v. 281 „rota fervida solis", tantum abest, ut putemus Lucretium eum a Cicerone recepisse, ut uterque communem sequi auctorem videatur, praesertim cum Lucretius alio loco eundem versum Ennianum imitetur (VI. 869) „inde ubi sol radiis terram dimovit obortus" (cf. VI. 737 „subrigit radiis sol omnia lustrans"). atqui Munro suam

[1]) in actis acad. Berol. 1896 p. 717 sqq.



sententiam confirmari putat eo, quod haec metaphora Lucretii et Ciceronis communis est. meo autem iudicio aliter res se habet; quare primum quidem reliquos locos a Munrone allatos in medium proferam, deinde pluribus nisus argumentis Lucretium uti Ciceronis Arateis negabo. concedi quidem spero, ut reliquam, ita quinti libri Lucretiani dictionem insignem esse flosculis Ennianis; ut in versibus 687 sqq., ubi plurima verba cum Ciceronianis congruunt:

„donec ad id signum caeli pervenit, ubi anni
nodus nocturnas exaequat lucibus umbras,
nam medio cursu flatus Aquilonis et Austri
distinet, aequato caelum discrimine metans,
propter signiferi posituram totius orbis,
annua sol in quo concludit tempora serpens,
obliquo terras et caelum lumine lustrans,
ut ratio declarat eorum, qui loca caeli
omnia dispositis signis ornata notarunt"

„signa caeli", „flatus Aquilonis et Austri" esse flosculos Ennianos certum est, sed unde hauserit poeta dictionem „aequato caelum discrimine metans", quae exornationis causa additur, incertum; quamquam suspicari possumus Lucretium eam hausisse ex eodem fonte. ex quo cetera orationis ornamenta hausit. itaque exstant praeter eam dictionem astronomicam, quae cum Ciceronis Arateis congruit, verba, quae Lucretius non ipse composuisse videtur propterea, quod eandem flosculorum poeticorum speciem praebent atque ea, quae Ciceronis quoque propria sunt. iam vero ad locos Munronis transeam.

a) Lucr. V. 691 sqq. „propter signiferi posituram totius orbis, | annua sol in quo concludit tempora serpens, | obliquo terras et caelum lumine lustrans". quod versus primus comparatur cum Cic. v. 318 „orbem signiferum perhibebunt nomine vero", agitur de singulo verbo composito „signifer", utriusque communi. cum Cicero versum explicandi causa apposuerit ad Aratum, ut nomen Latinum orbis zodiaci introduceret, non est, cur eum putemus huius nominis inventorem, quippe quod in astronomicis nihil novare conatus est; quod nomen nisi et Ciceroni et cuives homini Romano notum fuisset, Graecorum nomen retinere potuisset; praeterea Tullii est consuetudo nomine Graeco uti, cum Latinum non exstat: ipse veretur nova nomina invenire, cf. Ph. 6 „ex his altera apud Graios Cynosura vocatur", 5 „Deltoton dicere Grai | quod soliti", sim. — dein cum ceteris versibus comparantur Cic. v. 332 sq. „haec sol aeterno convestit lumine lustrans | annua conficiens vertenti tempora cursu." si vero cum v. Lucr. V. 692 comparatur eiusdem v. V. 619 „annua sol in quo consumit tempora cursu", oculos ferit versus Lucretianos inter se potius posse comparari, quam cum Ciceronis versu. quare omnes videntur orti esse ex communi versu, qui orditur a verbis „annua sol in quo", finitur

verbis „tempora cursu“, cum media pars contineatur verbo finito „consumit“, vel „concludit“, vel „confecit“, vel alio. praeterea Ciceronis verba „vertenti cursu“, „convestit lumine lustrans“ minime pendent ex versibus Arati (550/552); sed cum hoc loco enumerata sint singula zodiaci sidera, quos versus memoriales esse supra dixi (p. 45), versibus 332/333 enumeratio finitur, ita ut occasio offeratur cum sublimitate imitandae poeseos veterum. deinde quod pertinet ad verba „convestit lumine lustrans“, verba alliteratione firmiter coniuncta (cf. F. 30. 2 „Iuppiter . . . lustravit lumine terras“, 237 „lustrantes lumine mundum“, 441 „lustrantes lumine suras“, Lucr. V. 1437, VI. 284, Verg. Aen. II. 754) confunduntur cum alia metaphora „convestire lumine“, Ciceroni valde usitata (cf. Norden. ad Aen. VI. 640), cuius simili translatione Ennium usum esse notum est (sc. 155) „herbis prata convestier“. ipse Nordenus, quamvis Munronis sententiam comprobet, ex eo, quod inter se Cicero et Vergilius (Aen. IV. 6 „lustrabat lampade terras“) comparandi sint, efficit, ut Ennius huius dictionis auctor fuerit.

b) Lucr. V. 644 „quae volvunt magnos in magnis orbibus annos“, ib. 648 „. . . . per magnos aetheris orbes“, comparantur cum Cic. v. 232 „haec faciunt magnos longinqui temporis annos“, 236 „magnos edemus gentibus orbes“, (242 „tam magnos orbes“). uterque poeta „magnos“ appellat annos; Cicero cum paene ad verbum interpretetur Aratum (v. 458), qui potuit melius exprimere *μακροὺς ἐνιαυτούς*? — sed quod Vergilius habet Ae. III. 284 „interea m a g n u m  s o l  c i r c u m v o l v i t u r annum“, hic quidem versus potius comparatur cum versu Lucretii; neque vero Maronem hunc, sed Ennium sequi utrumque iudico ea de causa, quod Vergilii versus metri legibus recentioribus repugnat. — porro orbes Cicero et Lucretius „magnos“ appelant, neque vero est, cur hunc ab illo didicisse putemus caelestos orbes „magnos“ posse appellari. contra mihi quidem videtur plus interesse non utrumque exhibere „aetheris“ orbes, sed Lucretium solum.

c) Lucr. V. 612 „nullo qui sit fulgore notatus“ comparatur cum Cic. 249 „fulgens candore natatur“. poterat Munro alium versum Ciceronis argumento afferre Ph. 9. 2 „duplici fulgore notata“. illic cum Cicero dictione utatur pro Arati *περιγληνές* (476), hic ex Arati uno versu (56) duos facit, ut verisimile fiat aliunde eum haurire. Lucretii autem dictio ad hunc versum proprius accedit, scilicet quem ex Ennio sumptum Cicero ut mutaret verbis Arati coactus non est.

d) Lucr. V. 635 sq. „. . . ad signum quodque reverti | mobilius videatur, ad hanc quia signa revisunt“ comparantur cum Cic. 233 „cum redeunt ad idem caeli sub tegmine signum“. quod tantulum congruit poetarum dictio, haud scio an non sit ullius momenti pro similitudine argumenti. — sed verbis „caeli sub tegmine“ Lucretius quoque aliis locis utitur: V. 1016 „caeli sub tegmine ferre“ (Cic. 239 „caeli sub tegmine fulti“, 346 „caeli de tegmine sumens“), I. 988 „sub caeli tegmine“, II. 662 „sub tegmine caeli“ (Cic. 47 „lato sub tegmine caeli“). itaque et Ciceroni et Lucretio usitata est haec metaphora, qua aether quasi vestimentum caeruleum appellatur, caelum nubes stellas cetera contegens. quid? Ciceronem adulescentem, cum Arati carmen converteret, invenisse putemus dictionem tantae sublimitatis poeticae? neque enim ullo loco Arati verbis ad hunc tropum convertendum potuit adduci. itaque et propter hanc sublimitatem ipsam et quod dictio utrique poetae adeo usitata est, ut flosculi speciem praebeat, facere non possum, quin Ennium communem fontem esse existimem.



e) Lucr. V. 616 „brumalis adeat flexus“ et V. 640 „brumalis usque ad flexus“ comparantur cum Cic. 282 „brumali tempore flexus“. paene ad verbum hoc loco poetam Graecum interpretatus est (Ar. 508 sq.); ablativus „brumali tempore“ rursus occurrit v. 61 „brumali flectens contorquet tempore currum“. itaque consensus Lucretii et Ciceronis non ad brumales flexus pertinet, sed uterque dixit solem flecti „tempore brumali“. non equidem inveni causam, cur impediamur, quominus utrumque e communi fonte hausisse putemus.

f) Lucr. V. 665 „et conficere orbem“ comparatur cum Cic. 250 „conficit orbem“. cum hoc loco, ut supra dictum est, Cicero non intellexisset verba Arati et versum explevisset, suspicari possumus dictionem Ennianam latere. quamquam confitendum est pro similitudine argumenti hunc consensum facile fortuitum fuisse.

g) Lucr. V. 688 „. . . nocturnas exaequat lucibus umbras“ comparatur cum Cic. 288 „exaequat spatium lucis cum tempore noctis“. verba Ciceronis respondent ad Aratum neque flosculis poeticis tam insignia sunt quam Lucretii; quare hic epica dictione Latina potius exornare argumentum ex Graeco fonte haustum videtur, quam Ciceronem imitari. neque enim Vergilium dixerit quis Ciceronis sermoni studere, propterea quod in georgicis Arati Prognosticorum auctoritate nitatur. nostro autem loco num aliter sentiamus? cum eadem sit sententia, dictio poetica diversa est; „tempus noctis“, quod quidem ad artem pertinet, non est idem atque „nocturnae umbrae“, neque „luces“ „spatium lucis“; quamquam tum iure comparari poterunt illi versus, si putandum est utrumque poetam fontis eiusdem memorem fuisse, sed verba recepta diversis coloribus variavisse.

h) Lucr. III. 316 „quorum ego nunc nequeo caecas exponere causas“ comparatur cum Cic. 234 „quarum ego nunc nequeo tortos evolvere cursus.“ Heinzius ad. Lucr. l. l. fieri posse adnotat, ut fortuitus sit poetarum consensus. et caret profecto colore poetico haec dictio et sermonis cotidiani speciem praebet. attamen latius congruentia patet, quam ut casui tribuatur: rhythmus communis et verborum ordo idem est; deinde utrumque poetam formula consuetudine fixa uti indicia sunt. neque enim apud Lucretium

intellegimus, qua de causa quasi veniam petierit, quod naturarum hominum variarum „caecas causas explicare nequiret“; quid nequiret, ipse dixit versibus insequentibus „. . reperire figurarum tot nomina, quod sunt | principiis etc“. neque apud Ciceronem intellegimus, cur addiderit versum „. . nequeo tortos evolvere cursus“: ipse enim supra dixit de stellis errantibus „simili ratione notari non possunt, quia quae faciunt vestigia cursu non eodem semper spatio protrita feruntur“. sed verbis Arati „*οὐδ' ἔτι θαρσαλέος κείνων ἐγώ* (460) commotus esse videtur, ut uteretur locutione, quam noverat ex vetere poeta.

i) Lucr. IV. 171, VI. 252 „caeli complesse cavernas“ comparantur cum Cic. 252 „caeli lustrare cavernas“. quid de verbis Ciceronis appositis ad Aratum sentiam, exposui p. 41 sq. quo accedit, quod Lucretius scribens (IV. 391) „(sidera) aetheriis adfixa cavernis“ congruit cum Ciceronis versu, qui non in Arateis ante Lucretii carmen scriptis exstat, sed in posteriore carmine de consulatu dictione Enniana non minus referto, quam Aratea: F. 3. 5 „aetheris aeterni saepta atque inclusa cavernis“. unde sequitur, ut aetheris vel caeli „cavernae“ flosculus utriusque communis sit; ex Ennio cum haec verba non possimus afferre, tamen verisimile est eum caeli cavernas in annalibus adhibuisse, et quia metonymia eadem usus scripsit in tetrametris Andromachae (sc. 112) „cava caeli“ et propter „aetheris cavernas“ a Cicerone post Lucretium adhibitas.

Hi fuere loci Munronis. multis fuit verisimile Ennium latere fontem communem, nonnullis minime probabile Lucretium Arateis usum esse. addam equidem, ut sententiam meam contra Munronis defendam, ex iis, quae collegi, plura, quibus aperte demonstrari mihi persuasum sit Ennium esse communem utriusque fontem, si Lucretii dictio cum Ciceroniana congruet. Demonstratio non dubia est:

1. si Lucretium ex Ennio et reliquam artem et sermonem hausisse, tum quoque, cum de caelo, sideribus, astronomia agitur, inter omnes constat,
2. si in Ciceronis interpretatione, cum agitur de iisdem rebus, reperiuntur flosculi poetici ex auctore Graeco non oriundi, qui iam Ennianae dictionis proprii fuisse traduntur,
3. si Lucretius et Cicero communem praebent dictionem ad phaenomena imprimis pertinentem, qua usum esse Ennium demonstramus reliquiis carminum et tragoediarum eius.

a) ad 1. Eos nunc locos afferre mea interest, quos Ennii et Lucretii, non Ciceronis communes esse apparet; scripsit vero Lucretius:

„lumina solis“ I. 5, 989, II. 108, 654, V. 462, VI. 1197 secundum Enn. a. 283 „lumine solis“,
„luminis orae“ I. 22, 170, V. 224, 781 secundum Enn. a. 114, 131 „luminis oras“.



„caeli templa“ I. 1014, V. 521, VI. 388, 644, 1228, 670, 1274 secundum Enn. a. 49 „caeli caerula templa“, a. 65 sq. „caerula caeli | templa“, sc. 380 „templa caeli“,
„caerula caeli“ VI. 96, „caeli caerula“ I. 1090 secundum Enn. eosdem locos,
„Acherusia templa“ I. 120 secundum Enn. sc. 107,
„aetheriis in oris“ V. 85, 143, 683 secundum Enn. sa 4 „aetheris oras“,
„solis ignis“ V. 604 secundum Enn. va. 52 „de sole sumptus ignis“.
(„sola terrae“ II. 592 secundum Enn. a. 455 „sola terrarum“ [cf. Cat. 63. 7, Cic. Balb. 5. 13])

(„terrae frugiferentes“ I. 3 secundum Ennii an. 489 „terrai frugiferai“.) quod Vergilius hosce flosculos omnes fere recepit, nemo exstet, qui dicat ex Lucretio eum hausisse: item quod Lucretius recepit similia, quae apud Ciceronem quoque exstant, non dicemus cum Munrone illum imitari hunc.

b) ad 2. quamquam paucis locis demonstrare licebet Ciceronem ab Arato recedentem Ennii dictionem ostentare, pro exiguitate fragmentorum illius non a recta aberrabimus ad omnia transferentes, quod de singulis constat. iam enumerabo:

Enn. a. 156 „tum candida lumina lucent“,
Cic. 37 „(stellae) labentes lumine lucent“.

verba in extremo versu alliteratione inter se iuncta Arati auctoritate non nituntur (cf. 264 „*ὀλίγαι* · · *καὶ ἀφεγγέες* · · | · · *εἱλίσσονται*“); aliis vero locis eadem variantur, cf. 263 „claro con-lucens lumine Cancer“ cum Ar. 491 „*καὶ Καρκίνος*“, Pr. 2 „candet lumine Phatne“ cum Ar. 892/160 „*ἡ μὲν ἠγηλάζει*“. itaque quod supra diximus de suo ingenio saepe epitheta fulgoris stellarum propria interpretem apponere, ne in his quidem phrasibus ultra Ennii sermonem progredi videtur. ceterum in tragoedia quoque eadem dictione, qua Cicero l. l., Ennius utitur: sc. 292 „lumine sic tremulo terra et cava caerula candent | templa“.

Deinde de v. 281 „rota fervida solis“ ex Ennio certe sumpto supra egimus; Arato haec metaphora ignota est (v. 508 „*εἰς νότον ἠέλιος φέρεται*“). etiam radii solis apud Ciceronem exstant Pro. 1. 2 „stinguuntur radii“ sc. Hyperionis, Lucretio triti sunt, cf. V. 484, 705, VI. 40, 273, 524, 618, 869, 874, 737. (cum metaphora rotae solis alia cohaeret Enniana (a. 557) „interea fugit albus iubar Hyperionis cursum“, quocum versu comparandi sunt vv. Cic. 341 „quod si solis . . . . cursus“, 333 „(Sol) vertenti . . cursu“.) ceterum illam metaphoran Vergilius quoque adhibuit: Aen. VI. 748 „ubi mille rotam volvere per annos“, quem versum Servius interpretatus apposuit haec: „est autem sermo Ennii“.

Tum quod Ennius a. 102 scripsit „cum superum lumen nox intempesta teneret“, Cicero huius versus dictionem imitatur v. 350 „supero se lumine Cancer | extulit“, 374 „supero . . depulsus lumine

cedit“. quibus locis cum Ennii verba paulum commutaverit, quod ad superum lumen pertinet, plus ea variavit 185 „superum quae lumina tempore tranat“; neque vero Aratus est sermonis auctor (cf. 569 „*Καρκίνος ἀντέλλησιν*“, 684 „*Αἰγόκερως ἀνιὼν κατάγει*“). post Ciceronem etiam Lucretium recepisse eandem dictionem v. VI. 856 infra demonstrabo.

Enn. a. 339 „(nox) . . stellis ardentibus apta“,
a. 29, 159 „(caelum) . . stellis fulgentibus aptum“, conferenda sunt cum

Cic. 243 „(orbes) . . nodis caelestibus aptos“.

cum versus Enniani crebrius nobis traditi sint a scriptoribus Latinis, omnibus noti fuisse videntur, ita ut eorum memoria redintegraretur iis, qui Ciceronis versum audiebant. quid? nonne locum Ennii citavere Lucretius et Vergilius? ille VI. 357 „. . stellis fulgentibus apta“, hic. Aen. VI. 797 „. . stellis ardentibus aptum“, Aen. IV. 482, XI. 202 „stellis fulgentibus aptum“. Arati rursus exemplum locutionis Cicero non habuit, sed imitandi sermonis Enniani occasionem non praetermisit (Ar. 467 „*αὐτοὶ δ'ἀπλατέες καὶ ἀρηρότες ἀλλήλοισι | πάντες*“.)

Versus Ennii a. 159 „caelum suspexit stellis fulgentibus aptum“ modo allati priorem quoque partem comparandam esse dixerit quis cum Cic. 104 „quem qui suspiciens in caelum nocte serena“, praesertim cum etiam „nocte serena“ Ennii clausula sit (= a. 396 „omnes occisi obcensique in nocte serena“), quamquam Aratus scripsit 323 sq. „*καθαρῇ ἐνὶ νυκτί | ὑψοῦ* · ·“

Porro caeli et aetheris cavernas ex Ennio profluxisse. cuius in fragmentis scenicis „cava caeli (caerula)“ inveniuntur. verisimile est. ut supra exposui.

Denique scripsit Ennius in annalibus v. 443 sqq.

„concurrunt veluti venti, cum spiritus Austri
imbricitor aquiloque suo cum flamine contra
indu mari magno fluctus extollere certant.“

Cicero autem ventos et caeli regiones cum colore poetico significare ab Ennio didicit, cf. v. 100 sq. „inter solis iter, simul inter flamina [1]) venti, viribus erumpit qua summi spiritus Austri“, 184 „quam flatu permulcet spiritus Austri“. neque enim Aratus quicquam praebet, unde sermonem duxerit interpres, sed altero loco exhibet „*νότοιο*“ (v. 403), altero „*μεταξὺ νότοιο καὶ ἠελίοιο κελεύθου*“ (v. 321) alio videlicet verborum circuitu usus. in versu 100 etiam „solis iter“ dici videtur secundum Ennium, qui in Scipione scripsit (va. 11) „sól equis itér repressit . .“, et in tragoedia quadam (sc. 218) „noctis iter“, qua translatione uti non potuit, nisi si „solis iter“ dicere solitus esset.

Haec quidem nunc sufficiant; infra demonstrabitur Ciceronem saepius Ennii sermonem praebere; loci, quibus praeter Ciceronem

1) et „flamen ad Austri“ sim. 10. 22, 70, 198.



alii imitatores Ennii dictione communi utuntur, iterum erunt afferendi et copiosius tractandi. — apparuit his quidem Ciceronem etiam in iis rebus, quae ad caelum et stellas pertinent, imitari potuisse principem poeseos epicae Latinae auctorem, qui quo usus sit in phaenomenis describendis sermone, nostro quoque saeculo apparet, ut in vv. a. 89 sqq.

„interea sol albus recessit in infera noctis,
exin candida se radiis dedit icta foras lux,
et simul ex alto longe pulcherrima praepes
laeva volavit avis, simul aureus exoritur sol:
cedunt de caelo ter quattuor corpora sancta
avium praepetibus sese pulchrisque locis dant“,

vel in tragoedia: sc. 242 sq.

„astrologorum signa in caelo quid fit observationis,
cum Capra aut Nepa aut exoritur nomen aliquod beluarum“ e. qu. sequ.

Praeterea Ciceronem non solum Ennii flosculos poeticae dictionis, sed etiam structuram enuntiatorum et verborum ordinem imitatum esse demonstremus necesse est, siquidem iure defendere volemus Lucretium scribentem „quorum ego nunc nequeo caecas exponere causas“ non Ciceronis versum consimilem imitari, sed Ennii deperditum. talia infra nonnulla tractanda erunt, unum iam supra apparuit, nunc exempla argumento sint:

Enn. scripsit sa. 70 „. . soliti quod dicere nodum“,
Cicero secutus est v. 17 „soliti caelestem dicere nodum“.
item Ennius a. 161 „summa nituntur opum vi“,
Cicero F. 52 „magnam pervertet opum vim“,

(Enn. a. 29, 159, 339 = Cic. 243 vide supra p. 58.)

c) ad 3. Iam in argumentis Munronis disquirendis aliquot versus invenire putabam Ennianos, e quibus hauserit uterque, et Lucretius et Cicero. ille enim cum comparaverit Lucr. V. 432 „solis rota cerni lumine largo“ cum Cic. 281 „rota fervida solis“, ego comparandum esse duco Ennii v. 558 „inde patefecit radiis rota candida caelum“ et cum locis Munronianis et hisce: Lucr. VI. 737 „. . subrigit radiis sol omnia lustrans“ et VI. 869 „inde ubi sol radiis terram dimovit obortus“. deinde Ennii „cum superum lumen nox intempesta teneret“ (a. 102) Cicero imitatur vv. 350, 374, 185; Lucretius vero propius quam ille ad Ennii verba accedit: VI. 856 „cum superum lumen tanto fervore fruatur“. iam videas hoc loco considerato, quam non sit verisimile Lucretium ex Cicerone, non ipso Ennio, sermonem ad phaenomena pertinentem desumere. eodem pertinet, quod supra dixi Lucretium (et Vergilium) citare versum Ennianum, Ciceronem imitari, cum fingat „nodis caelestibus aptos“ (243) secundum Enn. a. 29 „stellis ardentibus aptum“.

Melius quam his exemplis ante oculos ponetur, quam firmis nitatur argumentis sententia mea contra Munronem defensa, si

comparavero Ciceronem cum Ennio Lucretio Vergilio, nam quae inter Ciceronem et Lucretium relatio intercedat, exponere studui, quae inter illum et Vergilium, melius, quam ego possum, Nordenus demonstravit.

Itaque ad comparandos inter se poetas transituro breviter addere mihi liceat summam sententiam, quae ex quaestione totius rei orta est: cum Ciceronis sermo, et is qui ad caelum, sidera, astronomian, et qui ad alia pertinet, congruit cum Lucretiano et Vergiliano, fons dictionis est Ennius; cuius ad verba eo propius accedit Cicero, quo magis ab Arato recedit et quo magis inveniuntur proprietates artis hexametri condendi, quas evitare solet.

## 2. Ciceronianae dictionis Ennium esse fontem demonstratur reliquiis Ennianis.

Primum quidem Ennium fontem esse demonstratur, quotienscunque in reliquiis poeseos Ennianae cuiusvis generis versus afferri possunt, quos cum imitatorum versibus comparare licet, cum Ciceronis, Lucretii Vergilii.

### a) Cicero solus cum Ennio congruit.

Qui loci, cum ad phaenomena imprimis pertineant, supra allati sunt, ita ut pauci tantum leviores restent.

1. Ennius in „Hectoris lytris" (sc. 162) dixit „. . . pestem mandatam hostili manu"; cuius loci, quem ipse nobis tradidit, Cicero memor fuisse videtur, cum interpretetur Sophoclis Trach. 1058 „*κοὐ ταῦτα λόγχη πεδιὰς* . ." his verbis (F. 33. 12) „hos nón hostilis dextra"; scribere enim poterat „hostilis hasta" diligenter Sophoclis verba interpretatus; quare apparet Ciceronem studuisse ea adhibere verba tropica, quae poetarum veterum Latinorum auctoritate nitebantur.

2. Ennium in Thyeste dixisse (sc. 345) „aspice hoc sublime⟨n⟩ candens, quem invocant omnes Iovem" Cicero testatur de nat. d. II. 25. 65, Euripidem quoque caelum vocasse Iovem eodem capite pergit, versusque eius reddit lingua vernacula (F. 43); reliqua cum ad verbum interpretetur, versu tertio ordinem incisorum commutat:

*τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν* —
„hunc summum habeto divom, hunc perhibeto Iovem".

hic quoque apparet Ciceronem in extremo versu imitari studuisse versum Ennianum „quem invocant omnes Iovem".

### b) Cicero et Lucretius cum Ennio congruunt.

1. compositionis „altitonans" Ennius auctor est, a. 541 „Iovis altitonantis", quam sibi assumpsere Lucretius V. 745 „altitonans Volturnus" et Cicero in carmine de consulatu F. 3. 36 „nam pater altitonans . ."



2. versus Ennii a. 382 cadit his verbis „quem credidit esse meum cor"; Lucretius aperte cadentiam imitatur, cum scribat I. 923 „. . spes magna meum cor", Cicero autem in Tusculanis disputationibus Iliadis versus quosdam Latine ita interpretatur, ut pro Homeri „*ὃν θυμὸν κατέδων*" (Il. VI. 202) ponat: „ipse suum cor edens (F. 23. 2), et pro *ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ* (Il. IX. 646) „corque meum penitus turgescit tristibus iris" (F. 27. 1). utroque loco versus Ennii memor fuisse videtur.

3. Versu Ph. 32. 4 „huic Equus ille iubam quatiens fulgore micanti | summum contingit caput alvo . ." Cicero convertit Arati 205 „*ἀλλ' ἄρα οἱ καὶ κρατὶ πέλωρ ἐπιτέλλεται Ἵππος* | *γαστέρι νειαίρῃ* . ." apposuisse ergo „fulgore micanti" interpretem non tam mireris, quam illud „iubam quatiens". cum vero comparaveris Ennii a 517 „celso pectore saepe iubam quassat altam", statim apparebit, unde Cicero hauserit eiusmodi epitheta. atque post Ciceronem Lucretius quoque eundem flosculum recepit, neque vero ex Cicerone sumpsit, quantum demonstrari potest, neque iisdem verbis utitur, sed similibus, cum scribat II. 632 „quatientes momine cristar".

4. de solis rota et radiis supra actum est (p. 52); ex Ennio attuli a. 558 „inde patefecit radiis rota candida caelum", ex Lucretio V. 432, 564 „solis rota", ex Cicerone v. 281 „rota fervida solis"; quod ad radios pertinet, et versum Ennii modo allatum et a. 90 „exin candida se radiis dedit icta foras lux" cum Lucretio et Cicerone comparandi sunt (Lucr. V. 484, 705, 737, VI. 40, 524, 618, 869, 874, Cic. Pr. 1. 2 al.).

5. quod Lucretius habet I. 290 „venti quoque flamina ferri" et Cic. 100 „simul inter flamina venti", 198 „vehementi flamine ventus", (10 flamen ad Austri, 22 Aquilonis flamina), haec circuitio poetica iam Enniana fuit, cf. a. 444 „aquiloque suo cum flamine . ."

6. versu illo Ennii a. 558, quem attuli propter solis rotam, continetur verbum patefaciendi significans „efficere, ut cerni aliquid possit", — Lucretius hoc modo Ennium interpretatur aperte l. allato: V. 432 „tum solis rota cerni lumine largo | altivolans poterat" —. neque vero verbum illud Lucretio ignotum est, cf. I. 10 „. . species patefactast verna diei", neque Ciceronem effugit, quo uti poterat, ut stellas oriri significaret. versus Arateorum, ubi patefaciendi verbum occurrit, coloribus Ennianis exornari amant, cf. 370 „sed cum de terris vis est patefacta Leonis" (vis Leonis) = Ar. 590 „*ἐρχομένῳ δὲ Λέοντι*".

7. Lucretius „caeli signa" (I. 2 „caeli subter labentia signa"), Cicero „caelestia signa" (163, 316 etc.) appellat sidera, quod iam Ennii proprium erat, cf. a. 211 „caelum cum ingentibus signis", sc. 242 „signa in caelo". Lucretium imitari Ennium ideo veritatis speciem quam maxime praebet, quia locus, quem attuli, ex prooemio sumptus est, quod flosculis Ennianis abundat.

8. Versus Ennii a. 374 oritur his verbis „sicut fortis equus", quocum comparantur et Lucretii versus IV. 987 „equos fortis", (III. 8, 764 „fortis equi vis"), et Ciceronis 53 sq. „ungula vemens | fortis equi". utrumque „fortem" appellantem equum imitari Ennium ea quoque de causa putandum est, quod versus colore Enniano praediti sunt („equi vis" in extremo versu = Enn. a. 486, „ungula" = Enn. a. 277, 439, 224) et quod epitheta „fortis" et „vemens" Cicero ad Arati verba adiecit.

De archaismis quibusdam grammaticis Ennii Ciceronis Lucretii communibus taceam; genetivos in ai desinentes, coniunctionem „inde loci", similia praetermitto.

### c) Cicero et Vergilius cum Ennio congruunt.

1. primum quod modo Ciceronis synecdochen „ungula" Ennianam esse dixi, cf. Enn. a. 224, 277, 439, accedit va. 11 „ungulis volantibus", Vergilium citare Ennium notum est Aen. VIII. 596, XI. 875 „quatit ungula campum"; cf. praeterea Aen. XII. 339 „spargit rapida ungula rores | sanguineos" et geo. III. 88 „solido graviter sonat ungula cornu", qui versus appropinquat ad Enn. a. 277 „summo sonitu quatit ungula terram".

2. Vergilium rursus citare, Ciceronem imitari Ennium videmus, si comparamus

Aen. II. 250 „vertitur interea caelum et ruit Oceano nox" cum Enn. a. 211 „vertitur interea caelum cum ingentibus signis". et Ciceronis fgm. 3. 1 sq.

„principio aetherio flammatus Juppiter igni | vertitur".

3. Similiter res se habet, cum Vergilius scripserit Ae. IX. 630 sq. „audiit et caeli genitor de parte serena | intonuit laevom". Ennium enim Romani augurii consuetudinem dixisse tradidit Cic. de div. II. 39. 82 (= a. 527) „tum tonuit laevom bene tempestate serena" ipse aliquantum, non omnino, recedit ab exemplo Enniano in Mario, v. 12 „partibus intonuit caeli pater ipse sinistris". quo in versu reliqua quoque Enniana esse videntur; pater ipse Juppiter appellatur a Catullo (64. 21), Vergilio (geo. I. 121), Cicerone F. 30. 1. quo loco convertit Homeri Od. 18. 136 „*πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε*"; quamvis Ennii versum a. 581 imitari in promptu fuerit „patrem divumque hominumque". ceterum de patre ipso cf. supra p. 28 sq. (legibus metri repugnatur).

4. in versu Aen. VI. 123 „et mi genus ab Iove summo" (iterum Aen. I. 380 occurrenti) interpretando Nordenus adnotat (p. 158) flosculum Ennianum latere se suspicari, quia vox pyrrhichia in positione quinta contineatur, atque Ennii comparat sc. 209 „Iuppiter tibi summe (tandem male re gesta gratulor)." quae Nordeni sententia Ciceronis versu optime confirmatur 20 „(e pedibus) natum summo Iove Persea vises"; recedit enim ab Arati verbis (248), qui exhibet „*πόδες γαμβροῦ* (sc. *'Ανδρομέδης*) *ἐπισημαίνοιεν* | *Πέρσεος*".



5. extrema versus verba alliteratione coniuncta Ennii a. 238 „foro lato sanctoque senatu" imitantur Cicero atque Vergilius, ille quidem F. 3. 57 „populus santusque senatus", hic. Aen. I. 426 „iura magistratusque legunt sanctumque senatum", quem versum quamquam Heynius sustulit, tamen quin Vergilianus sit, dubitare non possum.

6. Livium Andronicum Ennius secutus esse videtur in eo, quod Iovem appellat a. 627 „Saturno sancte create"; Livius enim F. 2 p. 37 Bae. scripserat „pater noster Saturni filie" et de Iunone F. 15 p. 39 Bae. „sancta puer Saturni †filia regina". sed „Saturnium" quoque et Iunonem „Saturniam" Ennius appellat, cf. a. 456 „o genitor noster, Saturnie, maxime divom", et a. 64 „Iuno Saturnia sancta dearum", 491 „optima caelicolum, Saturnia, magna dearum". hanc vero antonomasian sibi assumpsere cum ceteri posteriores poetae, tum Cicero et Vergilius: Cic. F. 22. 18 „genitor Saturnius idem" (= Il. B. 319 *Κρόνου παῖς*), F. 32. 5 „Saturnius me sic infixit Iuppiter"; Verg. Aen. V. 799 „tum Saturnius haec domitor maris.." (i. e. Neptunus), Aen. IV. 372 „nec Saturnius haec oculis pater aspicit aequis"; III. 380, V. 606, IX. 2, 745, 802, X. 760, XII. 156 „Saturnia Juno", I. 23, IV. 92, VII. 428, 560, 572, 622, X. 659, XII. 178, 807 „Saturnia".

7. apud Vergilium scriptum videmus Aen. X. 161 sq. „opacae | noctis iter", apud Ennium sc. 218 „etiam noctis iter". quod vero Cicero scribit v. 100 „inter solis iter", iam supra dixi illum quoque sequi Ennium, quia metaphora „noctis iter" ex altera „solis iter" orta est. sol enim cursu igneo iter facere interdiu putabatur, quo factum est, ut iter diurnum ad noctem translatum sit.

8. versu Arateorum 404 „ipse autem praeceps obscura nocte tenetur, | dum Nepa . ." Cicero interpretatur poetae Graeci v. 620 sq. „*αὐτὸς δ'ἐς κεφαλὴν ἔτι που τετραμμένος ἄλλῃ* | *Σκορπίον* · · *μένει*"; initium cum convertat quam diligentissime, reliquam partem ad arbitrium suum commutavit. unde vero sumpserit verba „obscura nocte tenetur", suspicari poterimus, si Ennii frgm. scen. 303 comparaverimus: „nocte in obsura latent". exstitisse autem in annalibus quoque versum similiter atque Ciceronis exeuntem, ideo putandum est, quod Vergilium proxime ad Ciceronis dictionem accedere videmus, cf. Aen. IV. 461 „nox cum terras obscura teneret", Aen. II. 420 „obscura nocte per umbram"; (similiter VI. 827 „nocte premuntur", IV. 123 „nocte tegentur opaca", cuius versus caesura cum neque hephthemimeri neque diaeresi bucolica sustentetur, Nordenus merito putat (p. 324) locutionem a veteribus desumptam esse. praeterea e Catullo quoque argumentum petere possum, quo sententia illa confirmetur; is enim 51. 11 scribit „. . teguntur | lumina nocte", quibus verbis reddit Sapphus „*ὀππάτεσσι δ'οὐδὲν ὄρημα*", metaphoran videlicet imitatus poetarum illorum veterum, ne dicam Ennii.

9. Cicero v. 128 sq. cum elegantia quadam, raro quam in Arateis invenias, composuit

„non aliae naves ut in alto ponere proras
ante solent rostro Neptunia prata secantes,
sed conversa retro caeli se per loca portat“.

vetustatem redolet versus 130 propter circuitionem „caeli loca“ et vocem pyrrhichiam in quinta positione collocatam; versus 129 propter antonomasian „Neptunia prata“ conspicuus est, cuius inventor esse Cicero adulescens non videtur. primum enim in Catulli epyllio occurrit 64. 2 „dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas“, deinde apud. Vergilium Aen. VIII. 695 „arvă novā Neptunia caede rubescunt“; quo versu adductus Baehrens in Livii Andronici fragmento 18 (p. 39) pro traditis verbis „celsos ocris arvaque putria et mare magnum“ scripsit haec „. . . Neptuni et mare magnum“. eandem coniecturam fecere alii in versu lacero apud eundem Festum nobis tradito Ennii (a. 143) „. . i caerula prata“, cum optime supplerent „Neptuni caerula prata“.

10. Aen. II. 405 „ad caelum tendens ardentia lumina frustra“ si comparaverimus cum Cic. 479 „(cervicem atque) oculorum ardentia lumina vestit“, id notabile videbitur, quod „lumina ardentia“ oculi apud utrumque audiunt, et quod verba eodem versus loco inveniuntur. Ciceronem quidem, cum interpretetur Arati v. 698 „*αὐχενίην κατάγει σπείρην καί πάντα πρόσωπα*“ flosculum poeticum apponere apparet, quem unde hauserit ut demonstretur, praeter Vergilii locum versus Ennii afferendus est sc. 54 „sed quid oculis rapere visast derepente ardentibus“.

11. Vergilius scripsit Aen. VII. 9 „splendet tremulo sub lumine pontus“, similiter VIII. 22 „aquae tremulum labris ubi lumen aënis“, „lumine tremulo“ ex Ennio desumptum esse Macrobius (sat. 6. 47) tradit, confert enim ex Ennii Melanippa (sc. 292) „lumine sic tremulo terra ac cava caerula candent | templa“. Ac Ciceronem quoque Ennianae dictionis memorem fuisse putandum est, cum scriberet F. 3. 15 „claro tremulos ardore cometas“.

### d) Cicero, Lucretius, Vergilius cum Ennio congruunt.

Ea denique, quibus tres poetae cum Ennii dictione congruant, cum exstent haud rarius, optime demonstratur, quae intercedat relatio inter eos.

1. quod Nordenus ut demonstret quocunque loco cum Cicerone Vergilius congruat, communem esse fontem Ennium comparat clausulam Ciceronis „voce locutus“ (F. 22. 22) cum Vergilii Aen. I. 614 „ore locutast“, addere liceat apud Ennium et Vergilium plura inveniri, quae comparanda sint cum Ciceronis loco, neque Lucretium comparari nequire. recte Ennius laudatur (a. 586 „pausam facere ore fremendi“), quem Lucilius et Vergilius imitati sint, ac demonstratur verborum circuitiones, quales sunt „ore loqui, effari, edere“



sim., ad poetarum veterum instar a Vergilio[1]) ceterisque poetis, qui post Ennium floruere, fictas esse. quas inter circuitiones verborum declarandi et dicendi numero Ciceronis Pr. 6. 3 „adsiduas iacit ore querellas“, quem locum conferre in promptu est cum Verg. Aen. V. 842 „funditque has ore loquellas“, Lucr. I. 39 „. . suavis ex ore loquellas“, IV. 546 „tollunt (lugubri voce) querellam“. quod vero ad Ciceronis „fidenti voce locutus“ pertinet, in Ennii annalium fragmentis eadem clausula non occurrit, verum apud Vergilium in Aen. III. 320 „demissa voce locutast“, et iam apud Catullum: 67. 41 „furtiva voce loquentem“, in illo carmine elegiacis versibus condito, quo poeta, ut erat salsissimus, per ironian grandi et magnifico sermone usus orationis altitudini atque elationi argumentum opponit obscoenum ac „plenum ruris et infacetiarum“ (confer initium carminis grandiloquum v. 2 „salve, teque bona Iuppiter auctet ope“). Catullus etiam in galliambis archaismis omne genus plenis simili circuitione utitur: 63. 49 „patriam allocuta maesta est ita voce miseriter“. Vergilii ceterorumque poetarum epicorum carmina similibus quam plena sint notum est; cf. „voce vocare“ Aen. VI. 247, 506, X. 873, XII. 483, 638, Lucr. IV. 711 cum Enn. a. 50 „blanda voce vocabam“; „compellat vocibus“ Aen. VI. 499 cum Enn. a. 44 „compellare pater me voce videtur“; praeterea „voce precatur“ Aen. IX. 403, XI. 784 (VI. 186), „voce refert“ Aen. I. 94, 208 cum Cic. F. 3. 51 „constanti voce ferebant“; „voce secutus“ Aen. I. 406, VII. 212, IX. 17, — X. 193; „voce . . declarat“ Aen. V. 245 sq.; „adfatur voce superba“ Aen. VII. 544, geor. IV. 320; „voce lacessit“. Aen. X. 644, ecl. 3. 51; „voce gravaris“ Aen. X. 628; Enn. sc. 43 „voce divina edidit“; Cic. 148 „maerenti voce canentes“, Lucretii locos plurimos, quorum colligendorum labore supersedi.

2. Ennii an. 540 „effudit voces proprio cum pectore“ (cf. a. 530 „sonitus effudit acutos“). quem locum plus minus imitati sunt tresviri aequales clarissimi, Lucretius, Cicero, Catullus, postea Vergilius. Lucr. I. 412 sq. . . haustus e fontibus magnis | lingua meo suavis diti de pectore fundet“, (VI. 6 „omnia veredico qui quondam ex ore profudit“). Cic. F. 3. 29 „pectore fundebant . . . casus“, (F. 3. 74 „fuderunt claras fecundi pectoris artis“), Pr. 4. 3 „fundens e gutture voces“, Pr. 5. 2 „inanis fundere voces“. Cat. 64. 125 „imo fudisse e pectore voces“, 64. 202 „profudit pectore voces“. Verg. Aen. V. 482, VII. 292 „talis effundit pectore voces“,[2]) Aen. V. 723 „talis effundere voces“, V. 780 „effundit pectore quaestus“, VIII. 70 „effundit ad aethera voces“, XI. 482 „maestas alto fundunt de limine voces“. metaphoran igitur, qua fundi sive effundi, profundi dicuntur voces e pectore, ab Ennio fluxisse per totam poesin epicam apparet.

[1]) cf. Aen. IV. 276, VI. 76, I. 614, IX. 5, 319; II. 524, III. 463; VII. 194, V. 842; VII. 436; — VII. 451, XI. 132, 190, 251, 535, XII. 47.

[2]) vel „dicta“.

3. ad Vergilii geor. I. 375 sqq. „. . aut bucula caelum | suspiciens patulis captavit naribus auras, | aut arguta lacus circumvolitavit hirundo“ Servius adnotat: hic locus omnis de Varrone est; ille enim: „tum liceat pelagi volucres tardaeque paludis | cernere inexpleto studio certare lavandi et velut insolitum pennis infundere rorem: | aut arguta lacus circumvolitavit hirundo | et bos suspiciens caelum, mirabile visu, | naribus aerium patulis decerpsit odorem. | nec tenuis formica cavis non evehit ova“ (= Varr. Atac. F. 22 Bae. p. 336). argumentum quidem Vergilius et Varro ex Arati diosemeis sumpsere (cf. Verg. g. I. 375 Ribb. p. 253). Servii testimonio confidendum esse videtur (propter versum 377 = Varro. 4). Sed reperiuntur tamen, quibus aliter rem se habere indicetur. versus Varroniani quinti parenthesis „mirabile visu“ vetusta est; verba „bos suspiciens caelum“ conferenda sunt cum Ennii a. 159: „caelum (su)spexit“, cum Ciceronis 104 „suspiciens in caelum nocte serena“. quamvis hic versus pendeat ex Ar. 324 „ὑψοῦ πεπτηῶτα“. cum Vergilii Aen. XII. 196 „suspiciens caelum tenditque ad sidera dextram“. en patet Varroniani sermonis auctorem his quidem versibus Ennium esse. quid? an habuit Ciceronem auctorem. qui eosdem versus Arati Latine interpretatus erat hoc modo (Pr. 7)

„mollipedesque boves spectantes lumina caeli
naribus umiferum duxere ex aere sucum“?

haud enim scio an comparandus sit versus:

„naribus aerium patulis decerpsit odorem“.

qua si essemus sententia, duae res efficerentur offensionis plenae. primum quidem Varronem Enniana illa ex aliis Ciceronis Arateorum locis hausisse: neque vero habuit, unde parenthesin „mirabile visu“ sumeret; deinde Lucretium quoque Ciceronis prognostica imitatum esse, qui exhibet IV. 991 sq. „iactant crura tamen subito vocesque repente | mittunt et crebro redducunt naribus auras“, sc. canes. III. 233 „vapor porro trahit aere sucum“: atque Lucretius altero loco magis cum Cicerone et Varrone, altero magis cum Vergilio congruit. locum Ciceronianum et Vergilianum colores dictionis Ennii habere demonstratur verbis „suspiciens caelum“: quare communem omnium fontem esse Ennium divinari audeo, qui duobus versibus illam dictionem imitandam praebuerit. alter versus desinuerit vel hoc modo „ducunt (captant) ex aere sucum“, alter „patulis redducunt (decerpunt) naribus auras“. quid vero putemus argumentum versuum Ennii fuisse, demonstratur Lucretii versu IV. 990 sqq.: ut canes, ita equi auras trahere patulis naribus dici poterant. itaque Varro quoque Ennium aut eius imitatores, et Vergilius Ennium ipsum secutus esse videtur. cum ad verbum citare versum Varronis ei placuerit, mirum est, cur mutaverit versum „naribus aerium etc.“, nisi ei notum fuerit eum esse Ennii: quapropter Ennii vestigia primere maluit neque omisit illud „caelum suspiciens“.



4. de versu Ennii „. . stellis fulgentibus (ardentibus) aptum“ a. 29, 159, 339 a Lucretio VI. 357 et Vergilio Aen. XI. 202, IV. 482, VI. 797 ad verbum allato, a Cicerone libere imitando expresso v. 243 „nodis caelestibus aptus“ supra actum est p. 58 sq.

5. quod Cicero cum Lucretio congruit scribens 252 „caeli lustrare cavernas“, (= Lucr. „caeli complesse cavernas“ IV. 171, VI. 252) et F. 3. 5 „aetheriis inclusa cavernis“ (= Lucr. IV. 391 „aetheriis adfixa cavernis“), supra collegi, ut uterque poeta Ennium imitatus sit, quod apud Ennium exstat eadem metaphora sc. 112 „quae cava caeli . .“. et quod Vergilius quoque in vocem „cavernas“, sicut Cicero et Lucretius, versus desinentes componere amat (cf. Aen. II. 19, 53, III. 674, VIII. 242, 420).

6. Cicero et Vergilius mare appellant „caerula“, ille quidem F. 29. 3 „transvectus caerula cursu“, hic. Aen. IV. 583 „et caerula verrunt“. in Ennii reliquiis apparet fragmentum (143) „. . i caerula prata“ (i. e †Neptuni, cf. p. 64), quocum comparandus est Lucretii versus V. 481 „. . ponti plaga caerula tendit“ et Vergilii Aen. VII. 198 „. . tot per vada caerula vexit“. quodsi Lucretius aethera non modo „caerula templa“ cum Ennio appellat, verum etiam „caerula“: V. 772 „quoniam magni per caerula mundi“, verisimile fit iam Ennium caerula loco substantivi adhibuisse etiam mare significantem.

7. Ennii a. 65 „unus erit, quem tu tolles in caerula caeli | templa“ et
a. 442 „tollitur in caelum clamor . .“ comparanda sunt cum Cic. 406 sq. „. . tollere vero | in caelum“,
Lucr. II. 325 „fulgor ubi †ad caelum se tollit“,
Verg. Aen. III. 564
„tollimur in caelum curvato gurgite, . .“
(Cat. 62. 1 sq. „vesper Olympo (i. e. caelo) . . vix tandem lumina tollit“.

proxime ad Ennium accedit Vergilius, quod ad Ciceronem et Lucretium pertinet, fieri posse concedo, ut fortuito similia praebeant.

8. Deinde, ut Lucretius Ennium imitatus sit, cum scriberet II. 206 „faces caeli sublime volantis“, VI. 97 sublime volantes | . . nubes“ inde efficitur, quod inter scenica illius fragmenta exstat versus (217) „(temo) stellas sublime agitans“ (cf. Vahlenum ad l.). Vergilius quoque similiter dixit Aen. X. 664 „sed sublime volans nubi se inmiscuit atrae“ (sc. Juno), et Cicero in interpretatione Aeschyli F. 32. 14 sq. „. . et sublime avolans“ [1]) (sc. Iovis aquila). omnes quidem pendent ex Ennio, neque est, cur putemus alterum ab altero verba Enniana recepisse.

9. Ex Ennii a. 396 „omnes occisi obcensique in nocte serena“ fluxisse Ciceronis clausulam v. 104 „quem qui suspiciens in caelum

[1]) codd. „advolans“.

nocte serena“ nemo est, quin concedat. quo accedit, quod Lucretius quoque et Vergilius Ennii vestigia primere videntur, ille I. 142 „noctes vigilare serenas“, hic geor. I. 426 „noctis capiere serenae“. similiter Ennius tempestatem appellat serenam posuitque adiectivum „serenus“ in extremo versu: a. 457 „Juppiter hic risit tempestatesque serenae“, a. 527 „tum tonuit laevum bene tempestate serena“, cuius clausulae simillima est Vergiliana (Aen. I. 255)[1] „caelum tempestatesque serenat“ (cf. etiam Aen. III. 518 „caelo constare sereno“, geor. I. 487 „caelo ceciderunt plura sereno“, geor. I. 340 „iam vere sereno“, Aen. VI. 707 „aestate serena“, Aen. V. 104 „dies . . serena“).

10. versum Ennii a. 334 „sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque“ tradidit Cicero ipse initio libri de senectute. quam dictionem, quod ad extrema versus verba pertinet, in sua carmina recepit: Ph. 3.2 „noctesque diesque feruntur“ (in libro de fin. I. 16.51 cum dicat „sollicitudines, quibus eorum animi noctesque diesque exeduntur“, Ennii versus memoriam redintegrare mihi videtur, cf. Vahleni adnot. ad Enn. a. 334). praeterea ut Ennius scripserit in versu ineunte, eadem usus dictione, „noctes atque dies“, ex eo colligitur, quod hoc consentiunt inter se Lucretius et Vergilius, ille II. 12, III. 62, hic Aen. VI. 127 (cf. Nordeni adn. p. 160), nam contra consuetudinem Vergilii a voce spondiaca versus oritur. Sed cave ne neglegas eum etiam finxisse secundum Ennium „noctesque diesque“ Aen. V. 766, VIII. 94, VI. 556, IX. 488 (cf. praeterea Laevii erotop. III. F. 2 p. 287 Bae. „nocte dieque“, Plant. Amph. 168 „noctesque diesque assiduo satis superquest“).

11. metaphoran Ennianam sc. 155 „herbis prata convestirier“ assumptam esse a Cicerone demonstratur v. 423 „viridi convestit tegmine vitis“, et a Vergilio geo. II. 219 „viridi se gramine vestit“. cum his Lucretius etiam lumine vel luce vestire vel convestire aliquid dicere solet (cf. Nord. ad Aen. VI. 640 p. 290): Lucr. II. 147 sq. „. . sol ortus . . | convestire sua perfundens omnia luce“, Verg. Ae. VI. 640 „et lumine vestit | purpureo . .“, Cic. 60 „perpetuo vestivit lumine Titan“, 332 „(sol) aeterno convestit lumine lustrans“, 473, 479, 262 sq., 205, 440, (F. 22.6).

12. Lucretius III. 1025 verba Ennii laudat „lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit“ = Enn. a. 149 „postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit“; aliis autem locis eum imitatur, ut III. 542 „lumina qui linquunt moribundi particulatim“. V. 989 „dulcia linquebant †lamentis lumina vitae“. atque Cicero eadem condicione erat, cum scriberet F. 3.24 „(civis) luce serenanti vitalia lumina liquit“, F. 22.5 „qui non funestis liquerunt lumina fatis“; F. 24.1 „hic situs est vitae iam pridem lumina linquens“; denique de

[1] totus locus est Ennianus: „olli subridens hominum sator atque deorum | voltu, quo caelum tempestatesque serenat, | oscula libavit natae.“



Vergilio idem censendum est, cf. Aen. XII. 62 sq. „simul haec invisa relinquam | lumina“, (liberius ducitur Ennii dictione Aen. VI. 735, X. 855). cave ne putes Ennium invenisse tropum, sive synecdochen sive metonymian appellamus, sed recepit eam a Naevio; cuius versus, qui aetatem tulit, quamquam ex tragoedia, non e carmine epico sumptus est, tamen in carmine epico quoque exstiterit: F. VI. (31) Ribb. p. 10 „ubi bipedes volucres lino linquant lumina“.

13. quod Ciceronem videmus in Arateis saepe addere verba „quem perhibent nomine Grai“, „apud Graios vocatur“, „nostri vocitant“, similia, eadem dictione uti solent Ennius, Lucretius Vergilius. omnia, quae huc pertinent, enumerare longum est, quare exemplis allatis appareat ceteros sequi Ennium; hic enim scripsit a. 148 „vento, quem perhibent Graium genus aera lingua“, Cic. Ph. 13 „quem perhibent . . nomine Grai“, 317 sq. Latini | . . perhibebunt nomine vero“, 197 „perhibentur nomine Aquai“, 202 „nemo donavit nomine Graium“, 222 „Graio . . qui nomine fertur“; Lucretius habet VI. 372 „autumni quod fertur nomine tempus“. (memorare nomine II. 629 sq., vocare n. VI. 740, [VI. 908]), Vergilius Ae. VII. 607, VIII. 331 „dicere (cog)nomine“; Ae. I. 530, III. 163, (III. 210) „est locus Hesperiam Grai cognomine dicunt“. deinde quod Cicero solum ablativum „nomine“ apponit Ph. 17.2 „Arcturus nomine claro“, hoc quoque Lucretii et Vergilii commune est. cf. Lucr. VI. 2 „praeclaro nomine Athenae“, Verg. Aen. XII. 845 „cognomine Dirae“. vice inversa appellandi verbo poetae utuntur, ablativum „nomine“ omittunt, cf. Enn. a. 218 „sapientia quae perhibetur, a. 409 „mortalibus quae perhibentur“, a. 23 „est locus Hesperiam quam mortales perhibebant“, Verg. Ae. VIII. 135 „ut Graeci perhibent“, geo. I. 247 „illic, ut perhibent . .“, Cic. 447 „ut perhibent“: aliis quoque verbis utuntur: Cic. 317 „. . hunc Graeci vocitant“, Ph. 6.1 „apud Graios . . vocatur“, Lucr. VI. 702 „(ut ipsi) nominitant, nos quod fauces perhibemus et ora“, (IV. 424 „ab re nominitarunt“). denique solendi verbum apponere amant, cf. Cic. 5 sq. „dicere Grai quod soliti“, Ph. 5 „septem soliti vocitare triones“, Ph. 29 „Graeci . . vocitare suerunt“, Lucr. IV. 369 „āēr, id quod nos umbram perhibere suemus“.

14. ut Homeri ceterorumque Graecorum *περίφρασιν* imitarentur, Ennius et poetae, qui eum consecuti sunt, circumscribere nomina solebant, ut pro iis ponerent „vim eorum“. cf. ex Ennio: a. 276 „virum vis“, a. 379 „aquae vis“, a. 161, 412 „opum vi“; ex Cicerone 57 „equi vis“, 321 „v. torva Leonis“, 370 „v. magna Leonis“, 324 „vis magna Nepai“, 372 „v. magna Aquilai“, 418 „v. vehemens Nepai“, F. 33.15 „Graia vis“, praeterea „vis signorum“ 70. corporis 78, opum F. 52, Favoni 206, fulminis F. 33. 31, inferna 271. Ciceronem Ennium imitari consulto iam ea de causa dicendum est, quod formam vis, (vi. vim) ex consuetudine Ennii in extremo posuit versu. Lucretius vero eadem condicione est;

cf. Ennii clausulam (a. 486) „magna contorsit equos vi“ cum Cic. 57 „. . terrai visit Equi vis“ et Luc. III. 8, 764 „fortis equi vis“; quod ad reliqua Lucretii exempla pertinet, non rarius circuitione utitur, quam Cicero; exempli gratia conferas „venti vis“ VI. 281, 300, 310, 319 etc. cum Cic. 206. „vis violenta leonum“ III. 296 cum Cic. 321, 370, „vis magna“ VI. 815 cum Cic. 324, 370, 372, „vis incidit ardens | fulminis“ VI. 145 cum Cic. F. 33. 31 „vis corusca fulminis“. neque vero Vergilius ab ea dictione abhorruit; quin etiam monosyllabon non raro in fine versus posuit: Aen. IV. 132, X. 864, XI. 373; Ennium laudare eum luce clarius apparet his locis: Aen. IX. 532 „summaque evertere opum vi“ = Cic. F. 53 „summam pervertet opum vim“, Aen. XII 552 „summa nituntur opum vi“ = Enn. a. 161, 412; denique cum Ciceronis versibus 324, 372, 370 (vis magna) conferendi sunt Vergilii Aen. IX. 724, VII. 432, geo. I. 169. ne alios quidem poetas, post Ennium qui floruere, περίφρασιν spernere notum est, exemplum nobis praebeat Val. Aeditui epigr. 2. 3 p. 275 Bae. „istam †non potis est vis saeva exstinguere venti“.

15. Apud Ennium a. 300 scriptum videmus „fortuna (add. Vahl.) varia validis cum (add. Dousa) viribus luctant“. apud Ciceronem 67 „at validis aequor pulsabit viribus Auster“, 195 „tum validis fugito devitans viribus Austrum“; imitatio apparet. non minus quam in Lucretio, qui scripsit III. 494 „ventorum validis fervescunt viribus undae“; v. I. 287 „validis cum viribus amnis“ comparatur cum Cic. 146 „magnis cum viribus amnem“: quod alter validas, alter magnas vires appellat, haec quoque variatio Ennio deberi videtur, cf. Lucr. V. 819 „magnis viribus“, VI. 559. denique quod ad Vergilium pertinet, non mirum est eum aequa et pari condicione esse: Aen. VI. 833 „validas in viscera vertite vires“, (V. 368), V. 500, II. 50; „magnis emittit viribus hastam“ Aen. X. 474.

16. Denique compositionem commemoro Ennianam apud posteriores tres occurrentem. Ennius enim in annalibus et in tragoedia equum appellabat „quadrupedem“, (a. 232 „quadrupes equus atque elephanti“, sc. 190 „duc et quadrupedum iugo“), Cicero, Lucretius, Vergilius secuti sunt; Cic. 211, Lucr. VI. 757, Verg. ecl. 5. 26, Aen. III. 542, VII. 500, X. 892; XI. 875 „quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum“, versus ille totus Ennianus sonorum imitatione insignis.

His demonstratis et enumeratis locis, quibus aut omnes poetae epici aut singuli cum Ennio congruunt, iure me dicere puto eos Ennium consequi, quotienscunque Ciceronem cum Lucretio et Vergilio congruere videmus, etiamsi versus Enniani aetatem non tulerunt, e quibus hauserint.



### 3. Ciceronianae dictionis Ennium esse fontem efficitur ex consensu eius cum Lucretio et Vergilio.

Omnibus locis Ciceronis Lucretii Vergilii communibus, cum Ennii versus, quem illi imitati sunt, aetatem non tulit, aliquid invenietur, quo per se fiat verisimile verba de Ennio esse recepta: aut vocibus Ennianis locus abundabit et compositionibus antiquis aut res metricae et proprietates grammaticae invenientur, quibus uti non licuit nisi poetis vetustis; praeterea, quod ad Ciceronem pertinet, cum Graecos interpretatur, rarissime verbis Arati, Homeri, tragicorum adducitur ad eam dictionem, quam dicimus Ennianam esse. Tamen in locis enumerandis omittam talia argumenta auxiliaria iterum atque iterum proferre, sed tabellis utar quam simplicissimis, ut ex comparandis inter se locis plane appareat dictio Enniana, quam imitati sunt cum Cicerone Lucretius et Vergilius.

#### a) Consensus est Ciceronis Lucretii Vergilii.

1. Cic. (338 „caecis nox conficit umbris“, 411 „caecas Equus abdit in umbras“),
 345 „caeca caligine nubes“, Pr. 1. 2 „caeca caligine tecti“, 478 „caligine caeca | “:
 Lucr. III. 304 „caecae caliginis umbra“,
 VI. 461 „nubis caligine crassa“ (cf. ib. 691),
 IV. 456 „noctis caligine caeca“.
 Verg. Ae. III. 203 „caeca caligine solem“,
 geor. II. 309 „picea crassus caligine nubem“,
 Aen. VIII. 253 „caligine caeca“.
 [praeterea confer Pr. 1. 2 „caeca caligine tecti“, 194 „obscura caligine tectam“ cum Lucr. VI. 852 „nox . . terribili terras caligine texit“.]
2. Cic. 369 „non cassum luminis ensem“,
 F. 53 „sanguine cassum.
 Lucr. V. 719 „quia cassum lumine fertur“, IV. 368 „nisi lumine cassus | aer“, V. 757 „cassum labatur lumine semper“,
 V. 1129 „sine in — cassum defessi sanguine sudent“.
 Verg. Aen. II. 85 „nunc cassum lumine lugent“.
3. Cic. 230 „sic malunt errare vagae per nubila caeli“,
 Lucr. I. 6 te fugiunt venti, te nubila caeli“, I. 278 „. . quae denique n. c.“, (V. 466 „subtexunt nubila caelum“).
 Verg. geor. IV. 166 „. . et nubila caeli“, (Ae. XII. 367 „fugam dant nubila caelo“).
4. Cic. 338 „caecis nox conficit umbris“, cf. supra n. 1.
 Lucr. IV. 527 „nigrai noctis ad umbram“,
 (Verg. Aen. VII. 619 „caecis se condidit umbris“).

5. Cic. 193 „sub media caeli regione locatam“, 472 „caeli in regione locavit“,
Lucr. I. 64 „caput a caeli regionibus ostendebat“, (VI. 723 „media ab regione diei“, sim. ib. 732: „mundi regione“ V. 534).
Verg. Ae. VIII. 528 „caeli (in) regione serena“, geor. II. 269 „quin etiam caeli regionem“.

6. Cic. 145 sq. „cernes in parte locatum | caeli“, F. 19. 12 „partibus intonuit caeli . .“, („parte locare“ in clausula 151, 186, 188),
360 „caeli de parte videtur“. Ph. 21 „caelique in parte resedit“, F. 3. 22 praecipitis caeli partis“.
Lucr. („parte locare“ in clausula III. 98),
VI. 99 „caeli de parte serena“. VI. 1111 „et caeli partibus esse“.
Verg. Aen. XII. 145 „caelique lubens in parte locarim“.

7. Cic. 88 „igniferum mulcens tremebundis aethera pinnis“.
Lucr. IV. 136 „aëra mulcentes motu“, (cf. V. 570 „loca mulcent“),
Verg. Ae. VII. 33 sq. „et fluminis alveo | aethera mulcebant cantu . .“

8. Cic. F. 3. 45 „flammato fulminis ictu“,
431 „valido venantem perculit ictu“.
Lucr. III. 488 „ut fulminis ictu“, V. 400 „repenti f. i.“, VI. 386 „de caelo f. i.“, VI. 406 „caveamus f. ictum“.
VI. 311 „vehementi perculit ictu“.
(Verg. Aen. VIII. 419 „validi incudibus ictus | auditi“.

9.[1]) Cic. 232 „haec faciunt magnos longinqui temporis annos“,
Lucr. V. 644 „quae volvunt magnos in magnis orbibus annos“.
Verg. Ae. III. 284 „interea magnum sol circumvolvitur annum“.

10.[1]) Cic. 332 „convestit lumine lustrans“, F. 30. 2 „lustravit lumine terras“, 428 „lustravit luce lacunas“, 441 „lustrantes lumine suras“, F. 3. 2 „conlustrat lumine mundum“, 237 „lustrantes l. m.“.
F. 3. 3 „caelum terrasque petessit“. F. 3. 32 „caelo terrisque canebat“.
Lucr. V. 693 „terras et caelum lumine lustrans“.
V. 1437 „lustrantes lumine circum“, V. 575 „loca l. lustrans“.
VI. 284 „luminibus lustrans loca percitus ardor“.
Verg. Aen. I. 133 „iam caelum terramque . .“, Aen. VII. 571 „terras caelumque“, Aen. IV. 269 „caelum ac terras“.
Aen. II. 754 „et lumine lustro“, VIII. 153 „lustrabat lumine (i. e. oculis) corpus“, IV. 6, VII. 148 „lustrabat lampade terras“.

---

[1]) signum apposui locis Munronianis, qui supra tractati sunt p. 53—56.



[praeterea conferendi sunt galliambi Catulli (63. 39 sq.) „. . sol radiantibus oculis | lustravit aethera album. sola dura, mare ferum“.]

11.[1]) Cic. 233 „caeli sub tegmine signum“, 239 „c. s. t. fulti“, 346 „notas c. de tegmine sumens“, — 47 „lato sub tegmine caeli“, (F. 22. 19 „duro formavit tegmine saxi“).
Lucr. I. 988 „sub caeli tegmine posset“. V. 1016 c. s. t. ferre“, — II. 662 „sub tegmine caeli“.
(Verg. ecl. 1. 1, geor. IV. 566 „sub tegmine fagi“).

12. Cic. 444 „verso contingens vertice primum“,
297 „summo caeli de vertice tranans“.
Lucr. I. 293 „dum vertice torto“,
II. 210 „sol etiam caeli (add. Brieger., Lachm. summo) de vertice dissipat . .“.
Verg. Ae. I. 225 „sic vertice caeli | constitit“.

13. Cic. F. 3. 36 „stellanti nixus Olympo“, F. 3. 19 „stellanti nocte peremptast“,
Lucr. IV. 212 „extemplo caelo stellante serena | sidera . .“,
Verg. Ae. VII. 210 „stellantis regia caeli“.

14. Cic. 305 „divino numine flexi“, F. 29. 8 „d. n. vexit“, F. 19. 10 „divini numinis augur“, F. 22. 9 „divom placantes numina tauris“, F. 3. 70 „vigenti numine divos“.
Lucr. I. 154, VI. 91 „divino numine — ⏑̲“, V. 122 divino a numine — —“. II. 168 „deum sine numine — ⏑“, V. 1161, VI. 70 „deum . . . numina — ⏑̲“.
Verg. Ae. II. 777, V. 56, VI. 368 „sine numine divom“ (cf. Nord. ad VI. 368), I. 447, II. 123, III. 363, IV. 204.
[praeterea Cat. 64. 134 „neglecto numine divom“, 76. 4 „divom ad fallendos numine abusum homines“.]

15. Cic. Ph. 9. 5 „caput at tereti cervice reflexum“,
Lucr. I. 35 „. . tereti cervice reposta“ (VI. 744 „molli cervice profusae“)
Verg. Ae. VIII. 633 „illam tereti cervice reflexa“.

16. Cic. F. 19. 6 „iam duros ulta dolores“,
Lucr. III. 460 „morbos durumque dolorem“,
Verg. Ae. V. 5 „duri magno sed amore dolores | polluto“.

17. Cic. 13 „horrisonis Aquilonis tangitur alis“, F. 32. 3 „hórrisonó freto“.
Lucr. V. 109 „horrisono posse omnia victa fragore“,
Verg. Ae. VI. 573 „horrisono stridentes cardine (postae)“, IX. 55 „(fremitu) horrisono“.

18. Cic. 59 „corpore semifero . .“
Lucr. IV. 587 „. . semiferi capitis“,
Verg. Ae. X. 212 „. . semifero sub pectore“.

---

[1]) signum apposui locis Munronianis, qui supra tractati sunt p. 53—56.

19. Cicero 177 „quod superest" (qua dictione versus incipit!) Lucr. I. 50, II. 39, 491, IV. 195, V. 772, VI. 423, 906. 1000; Verg. Ae. V. 796, IX. 157. XI. 15, geo. II. 346, IV. 51.

Accedere ad locos enumeratos arbitreris eos quoque, quibus aliquod vocabulum poeticum occurrit, epicorum et scenicorum poetarum proprium, velut cum „proles", „gnatus", „alumnus" pro filio exstat. talia enumerare longum est. quare, quoniam intelleximus non raro consensu Ciceronis, Lucretii, Vergilii nos adduci, ut putemus Ennium esse communem eorum fontem, nunc vertamus nos ad eam dictionem, quae Ciceronis et Lucretii communis est; nam, ut supra demonstrare conatus sum, etiam iis locis, qui hac condicione sunt, iure videtur effici. ut Ennius sit utriusque exemplar.

### b) Consensus est Ciceronis et Lucretii.

1. Cic. 111 „aestiferos validis erumpit viribus ignis", (320. „aestifer Cancer"),
   Lucr. I. 663 „aestifer ignis uti lumen iacit, (V. 613, 642 „aestifer")
2. Cic. 112 „micans iacitur mortalibus ardor", F. 3. 12 „concursusque gravis stellarum ardore micanti⟨s⟩."
   Ph. 14. 2 „stella micans tali specie .., Ph. 17. 1 sq. „... fixa videtur stella micans radiis."
   Lucr. III. 289 „oculis micat acribus ardor", V. 1099 „micat ... flammai fervidus ardor,"
   V. 1205 „stellisque micantibus aethera fixum".
3. Cic. 253 „tangens Aquilonis vertitur auras,"
   Lucr. IV. 933 „aeriis ... tangitur auris".
4. Cic. Pr. 2 „quae candet lumine Phatne",
   Lucr. V. 721 „caudenti lumine tinctus".
5. Cic. 336 „cedunt labentia"
   Lucr. IV. 144 „lapsaque cedant".
6. Cic. 16 „una tandem in stella communiter haerent"
   Lucr. V. 554 „nam communibus inter se radicibus haerent".
7. Cic. 314 „caeli contingimus orbem,"
   Ph. 7. 5 „cursu ... brevi convertier orbe", (333 „vertenti ... cursu")
   Lucr. V. 510 „caeli si vortitur orbis",
   V. 654 „sub terras cursum convortere cogit".
8. Cic. Pro. 1. 1 „cum luna means"
   341 „solis ... cursus", 333 alibi,
   Lucr. V. 76, 774 „solis cursus lunaeque meatus",
   V. 418 „solis lunai cursus".
9. Cic. 137 „disperso lumine fulgens", (cf. 105 „late dispersum"),
   Lucr. V. 664 „dispersos ignis orienti lumine cerni".



10. Cic. 403 „cum Chelis erigit alte"
    Lucr. IV. 404 „iamque rubrum tremulis iubar ignibus erigere alte".
11. Cic. 419 „late fusa volat", (164 „cum lumine fusae")
    Lucr. V. 469 „late diffusus", III. 22 „large diffuso lumine rident".
12. Cic. 394 „larga cum luce Bootes",
    Lucr. II. 806 „larga cum luce repletast", (V. 432 „lumine largo").
13. Cic. 130 „caeli se per loca portat".
    Lucr. V. 694 „qui loca caeli | ... notarunt", I. 1062 „in loca caeli", („loca terrae" V. 1255, VI. 557, 580, „loca campi" II. 40).
14. Cic. 380 „pandens illustria lumina Virgo", 452 „simul cum lumine pandit",
    Lucr. V. 657 „et lumina pandit".
15. Cic. 247 „pleno ... cum lumine luna",
    Lucr. V. 708 „pleno bene lumine fulsit".
16. Cic. 51 „iacit quatiens e corpore lumen",
    Ph. 27. 2 „iaciunt mortalibus ignem", 331 „iactantes lucibus ignem".
    Lucr. V. 576 „iactat de corpore lucem" (cf. V. 906 „flaret de corpore flammam")
    VI. 389 „et iaciunt ignem .."
17. Cic. F. 3. 1 „aetherio flammatus Juppiter igni" (F. 3. 38 „iniecit .. ignes"),
    Lucr. I. 1034 „labentes aetheris ignes", II. 1098 „ignibus aetheriis"; V. 448, 585 („fulminis ignis" II. 382, 384).
18. Cic. 88 „igniferum mulcens .. aethera",
    Lucret. V. 458 sq. „se sustulit aether | ignifer", V. 498 „inde aether ignifer ipse".
19. Cic. 58 „gelidum .. frigus anhelans",
    Lucr. V. 641 „gelidis a frigoris umbris".
20. Cic. Pr. 4. 1 „fugiens e gurgite ponti",
    Lucr. V. 387 „ex alto gurgite ponti".
21. Cic. 40 „hiberni praepandens temporis ortus"
    287 „lumine verno".
    Lucr. V. 940 „hiberno tempore cernis",
    V. 802 „tempore verno".
22. Cic. 271 „tempore nocturno", 223, 245, 342, 349, F. 3. 26 „nocturno t. — ◡".
    Lucr. IV. 444 „tempore noctorno", IV. 1008, V. 970, VI. 849 „nocturno temp. — ◡".
23. Cic. 224 „aeternumque .. mundi pernoscere motum",
    Ph. 3. 1 „cetera labuntur celeri caelestia motu", F. 3. 6 „stellarum motus",
    Lucr. I. 1055 „aeterno percita motu", = III. 33;

IV. 210 „quam celeri motu .. ferantur“. V. 530 „motibus astrorum“.

24. Cic. 57 „obitus terrai visit Equi vis“,
Lucr. V. 709 „obitus eius super edita vidit“.
25. loci Munronis:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Cic. 333 „annua conficiens“ ...... | pg. 53 sq. | sub | lit. | a) |
| Cic. 282 „brumali tempore flexus“. | „ 55 | „ | „ | e) |
| Cic. 288 „exaequat spatium ....“ | „ 55 | „ | „ | g) |
| Cic. 234 „quorum ego nunc nequeo“ | „ 55 sq. | „ | „ | h) |
| Cic. Ph. 9. 2, 249 „fulgore notatus“ | „ 54 | „ | „ | c) |
| Cic. 250 „conficere orbem“....... | „ 55 | „ | „ | f) |
| Cic. 318 „signifer orbis“......... | „ 53 | „ | „ | a) |

26. Cic. Ph. 9. 4 „radianti sidere lucet“,
Lucr. IV. 213 „sidera respondent in aqua radiantia mundi“.
27. Cic. 328 „squamigeri serpentes ludere Pisces“.
Lucr. I. 162 „squamigerum genus et volucres“. I. 372, 378, II. 343, 1083 etc.

Haec sunt, quae verba Lucretii ad phaenomena et rerum naturam pertinentia cum Ciceronis dictione congruunt; atque sunt plurima, quae inter se comparare licuerit, interdum graviora, saepe leviora; sed ne leviora quidem omittenda esse putavi. loci Lucretiani, exceptis paucis, sumpti sunt ex libro de rer. nat. V., quo agitur de phaenomenis; neque est, cur putemus Lucretium, quantum pertinet ad hunc librum, Ciceronis Arateorum sermone usum esse: praeterea mirum non est utrumque cum studio e veterum carminibus assumpsisse, quaecunque pertinent ad caelum, sidera, ventos, horas, rerum naturam, alterum auctorem libri de rerum natura, alterum phaenomenon Arati interpretem. similitudine igitur eorum, quae tractant poetae, factum est, ut Ennii uterque memor in eandem saepissime dictionem inciderit. Ennium uterque sequitur, ad eius genus dicendi cum in reliquis accedere quam proxime studuit uterque, tum in iis, quae docere et enarrare carmine toto sibi proposuit. contra Vergilius, qui „arma virosque canit“ in Aeneide, cum Cicerone congruet praeter cetera in iis, quae ad rem militarem et bellicam pertinent, verba ad phaenomena pertinentia utriusque communia rarius occurrent.

Sed cave ne putes Lucretii sermonem ad alias res pertinentem minus congruere cum sermone Ciceronis, quamquam multi versus, quos hoc loco enumerare licet, non ex Arateis, sed aliis Ciceronianae poeseos fragmentis sumpti sunt; quae cum ita sint, non dubium est, quin hic quidem certe uterque secutus sit Ennium. en tabella:

1. Cic. F. 9 „.. sibi dedecori genuere parentes“,
Lucr. II. 643 „.. decorique parentibus esse“.
2. Cic. F. 24. 1 „vitae iam pridem lumina linquens“,
Lucr. III. 849 „data lumina vitae“, III. 1042 „iit decurso lumine vitae“.



3. Cic. 117 „augens anima vitali flamine mulcet“,
Lucr. III. 577 „eiectis ... vitalibus auris“, V. 857.
4. Cic. F. 3. 71 „cura videre sagaci“,
F. 3. 10 „divina mente notata“, F. 3. 3 „menteque divina“,
Lucr. I. 1022, V. 420 „sagaci mente locarunt“,
III. 15 „divina mente coorta“.
5. Cic. F. 3. 46 „avolsa pedum vestigia liquit“,
Lucr. III. 389 „pedum vestigia quaeque“.
6. Cic. 93 „.. in fronte locatas“,
Lucr. IV. 71, 97 „.. fronte locata“.
7. Cic. 218 „(Hydra) levi lubrică caudā“,
F. 22. 11 „(serpens) immani specie“, ib. 16 „immani .. morsu“,
Lucr. IV. 60 „lubrica serpens“,
V. 33 „immani corpore serpens“.

[8. Cic. 132 „magno cum pondere navem“,
Lucr. IV. 905 „pondere magno | commovet“.]
[9. Cic. 227 „simili ratione notari | non possunt“,
Lucr. II. 1084 „simili ratione fatendumst“, II. 857, III. 572, IV. 163, 754 (cf. „consimili ratione“ I. 1061?, 1104, II. 506, 807 etc.)]
10. Cic. Ph. 5 „quos nostri septem soliti vocitare triones“, Ph. 29, 317 sq.
Lucr. VI. 298 „quem patrio vocitamus nomine fulmen“.
11. Cic. 18 „si quaesere pergas“,
Lucr. IV. 300 „contra si tendere pergas“,
12. Cic. Pr. 3. 4 „tristis Neptuno reddere voces“,
Lucr. IV. 577 „loca vidi reddere voces“.
— Cat. 64. 166 „nec missas audire queunt nec reddere voces“.
13. Cic. Ph. 28. „corniger est ... Taurus“,
Lucr. II. 368 „(haedi) cornigeras norunt matres“.
14. Cic. 432 „mortiferum in venas figens per vulnera virus“,
Lucr. VI. 1091 „mortiferum possit cladem conflare ..“

Hactenus de Lucretio cum Cicerone congruenti; iam apparuit e tabellis hic quoque interdum versus structuram esse similem, interdum dictionis colorem poeticum eundum, interdum nominum compositiones inveniri easdem. quae quia absoluta esse censeo, iam transire licet ad locos Vergilianos cum Ciceronianis comparandos.

### c) Consensus est Ciceronis et Vergilii.

1. Cic. 34 „aeterno cunctas vario qui nomine dignant“,
Verg. Aen. VI. 235 „aeternumque tenet per saecula nomen“, VI. 381 „aeternumque locus Palinuri nomen habebit“.

2. Cic. Ph. 28 „corniger est valido conixus corpore Taurus“,
Verg. Aen. IX. 410 „toto conixus corpore ferrum | conicit“, X. 127 „toto conixus corpore saxum | . .“

3. Cic. Pr. 3. 5 „cum celso e vertice montis“.
Verg. Ae. V. 35 „ex celso miratus vertice montis“. XI. 526 „summoque in vertice montis“ (III. 679 „cum vertice celso“).

4. Cic. F. 11 „o fortunatam natam . .“,
Verg. Ae. I. 437 „o fortunati . .“, XI. 252, geo. II. 458, cf. ecl. 6. 45.

5. Cic. F. 3. 32 „ipse deum genitor“ (F. 22. 18 „genitor Saturnie“),
Verg. Aen. VII. 306 „ipse deum antiquam genitor Calydona . .“ („genitor“ V. 817, XI. 727, XII. 200. 843; — IX. 630 „caeli g.“, X. 668 „omnipotens g. .“).

— Cat. 64. 27 „divom genitor“.

6. Cic. 377 „Procyon, qui sese fervidus infert“ (cf. 208 „qua sese . . Scorpios infert“)
Verg. Ae. XI. 742 „adversum se turbidus infert“, geo. II. 145 „equus campo sese arduus infert“.

7. Cic. F. 22. 20 „stantes mirabile monstrum | vidimus“,
Verg. geo. IV. 554 „dictu mirabile monstrum | aspiciunt“, Aen. III. 26 „dictu video m. m.“, VIII. 81; IX. 120. X. 637 (in parenthesi).

— Varr. Atac. F. 22. 5 p. 336 (B) „et bos suspiciens caelum (mirabile visu) | naribus . .“

8. Cic. 29 „perhibentur more vetusto“.[1]
Verg. Ae. XI. 142 „de more vetusto | funereas rapuere faces“.

9. Cic. F. 3. 65 „patribus populoque patebat“. F. 3. 59 „patrum sedes populique . .“
Verg. Ae. VIII. 679 „cum patribus populoque penatibus et magnis dis“[2]), IX. 192 „populusque patresque“.

10. Cic. F. 19. 9 „praepetibus pinnis lapsuque volantem“,[3])
Verg. Aen. VI. 15 „praepetibus pinnis ausus secredere caelo“ (cf. Nord. p. 124), Ae. III. 361 „et praepetis omina pinnae“.

11. Cic. Ph. 2. 1 „quem neque tempestas perimet neque longa vetustas | interimet“.
Verg. Aen. V. 783 „quem nec longa dies, pietas nec mitigat ulla“,
(VI. 692 „quem neque fas . . cuiquam nec sternere ferro . .“).

12. Cic. F. 33. 30 „túque caélestum sator,“
Verg. Aen. I. 254 „hominum sator atque deorum“ = Ae. XI. 725.

---

[1]) similia verba Ennii aetatem tulere, cf. a. 248 „mores veteresque novosque“, a. 500 „moribus antiquis“, sc. 315 „more antiquo“.

[2]) versum exeuntem cf. cum Enn. a. 201 „. . cum magnis dis“.

[3]) compositio „praepes“ Enniana est, a. 91 pr. avis, a. 407 pr. ferrum, a. 488, 94; Verg. Ae. V. 254.



13. Cic. 48 „serpens geminis secat aera pinnis“,
88 „mulcens tremebundis aethera pinnis“,
Verg. geo. I. 406, 409 „secat aethera pinnis“ (= Ciris 517—540!).

14. Cic. 216 „haec caput atque oculos torquens ad . .“,
Verg. geo. III. 433 „flammantia lumina torquens“.

15. Cic. Pr. 9 „caprigeni pecoris custos de gurgite vasto“,
Verg. Aen. I. 118 „nantes in gurgite vasto“, VI. 741, III. 197 (III. 421 „ter gurgite vastos | sorbet . . fluctus“).

16. Cic. F. 22. 10 „sub platano umbrifera“, F. 3. 73 „inque Academia umbrifera“,
Verg. Aen. VI. 473 „in nemus umbriferum“,
[cons. ad Liv. 428 „quem semel umbrifera navita lintre tulit“].

Deinde verba quaedam ad phaenomena caeli pertinentia inveniuntur Ciceronis et Vergilii communia; quae cum apud Lucretium non exstent, Vergilius desumpsit aut ex Arateis ceterisque carminibus Ciceronis aut cum eo ex veterum poetarum Romanorum operibus. sed secundum ea, quae supra exposui, Ennium communem utriusque fontem esse putemus necesse est: num desunt ea, quibus congruere Ciceronem Vergiliumque cum Ennio ostendi possit? num, quod ad interpretationes pertinet, Ciceroni non visum est a verbis Graecorum recedere et alio orationem vertere omnibus fere locis, de quibus hic agitur?

1. Cic. 64 „volvetur curriculo nox“, 189 „aeterno invisens loca curriculo nox“ (cf. 264 „convertit curriculum sol“),
Verg. Aen. VIII. 407 „medio iam noctis abactae | curriculo“.[1])

2. Cic. Ph. 10 „hoc caput hic paulum subitoque recondit“,
Verg. Aen. X. 767 „et caput inter nubila condit“.

3. Cic. 192 „cernes sine nubibus atris“,
Verg. A. X. 264 „quales sub nubibus atris“, X. 664 „nubi se immiscuit atrae“.

4. Cic. F. 1. 1 „claris (pro „cladis“ corr. Junius) delapsus ab astris“,
Verg. Aen. V. 838 „aetheriis delapsus Somnus ab astris“.

5. Cic. 347 „ortus atque obitus“, Ph. 10. 2 „ortus ubi atque obitus“,
F. 3. 58 „. . solis ad ortum“, F. 19. 8 „solis nitidos convertit ad ortus“.
Verg. geo. I. 257 „signorum obitus speculamur et ortus“,
geo. III. 277 „neque solis ad ortus“.
Cat. 66. 2 „. . qui stellarum ortus comperit atque obitus“.

---

[1]) dictio Ciceronis Ennio deberi ideo videtur, quod monosyllabo in versu extremo utitur, ut Enn. a. 420. Verg. Aen. II. 250 „ruit oceano nox“, geo. I. 247 „intempesta silet nox“ (cf. cum Enn. a. 102, 167 „nox intempesta . .“); ut noctis, ita solis curriculum exstiterit in Ennii annalibus; „sol“ in extremo versu occurrit Enn. a. 92, Lucr. III. 1044, VI. 620, Verg. geo II. 321.

6. Cic. F. 3. 22 „praecipitis caeli partis obitusque petessit“, Verg. geo. I. 365 sq. „stellas . . videbis | praecipites caelo labi noctisque per umbram“.
7. Cic. 154 „evalida cum luce refulgens“ (367 „claris cum lucibus“, sim.),
   Verg. Ae. I. 588 „claraque in luce refulsit“, Ae. II. 590 „per noctem in luce refulsit“
   Cat. 64. 275 „nantes cum luce refulgent“.
8. Cic. 73 „Sagittipotens cum sustinet orbem“,
   Verg. Aen. VIII. 137 „aetherios umero qui sustinet orbes“.

His tabellis collegi, quae comparari posse putabam, unde appareret Ennium esse communem poetarum epicorum fontem, Ciceronis, Lucretii, Vergilii. reliquorum poetarum rei publicae liberae fragmenta vel carmina attuli, cum re posci videbatur, Catulli libellum imprimis, qui in epylliis si minus imitatorem, tamen sermone ductum veterum poetarum se praebet. poeseos ante ennianae fragmentis perpauca continentur, quae cum Ciceronis sermone poetico comparari liceat, nisi quod praeter ea, quae in tabellis adnotata sunt, compositionem „arcitenens“ iam a Naevio factam esse apparet (Naev. F. 61 p. 51 Bae. „tum tu pollens sagittis arquitenens Deana“, cf. Host. bell. Histr. F. 6. 2 p. 139 Bae.). quam compositionem utrum ex Naevio ipso, an ex Ennio sumpserit, incertum est; sed id quidem divinari licet Ciceronem ne ea quidem composita, quae nostra aetate neque ex Naevio neque Ennio neque alio poeta afferuntur, ipsum creavisse, sed assumpsisse de veteribus. tum, qui poetae post Ennium floruere epici usque ad Ciceronis tempora, principis auctoris hexametri Latini sermonem consecuti sunt:

Enn. a. 458, sc. 177
„Juppiter omnipotens“ apud Val. Soran. F. 4. 1 p. 273 Bae., Cat. 64. 171, postea apud Verg. saepe (ex. gr. conferas Aen. IV. 220);

Enn. a. 489 „frugiferus“ in carm. Marc. F. 1. 6 p. 294 Bae., apud Lucr. I. 3;

Enn. a. 81 „altivolans“ apud Host., bell. Histr. F. 1. 1 p. 138 Bae.;

Enn. a. 443 „spiritus Austri“ apud Fur. Ant. F. 5 p. 277 Bae. (sp. Eurorum), Cic. 101, 184.

Cic. Pr. 3. 4, Lucr. IV. 577
„reddere voces“ apud Cat. 64. 166;

Cic. 113, 405, Pr. 7. 1
„lumina caeli“ apud Cat. 66. 59;

Cic. 277, 298, 323, 389
„claro cum lumine“ apud Cat. 64. 407 (lumine claro);

Cic. 52 „pede pellere palmam“ apud Cat. 61. 14 „pelle humum pedibus“.



Ipsius Ciceronis temporibus novam artem poeticam exstitisse notum est, neotericorum, qui appelantur. qui spernebant Ennii et omnino veterum poetarum sermonem, artem metricam, compositionem, et novas invenire normas studebant. ab his quidem poetae optimi temporum Augusti pendebant, ei quoque, qui hexametris carmina sua componebant. Vergilium denique, quod pertinet ad dictionem poeticam et artem metricam, rediisse ad veteres, Ennium eiusque imitatorem Lucretium, ita ut in Aeneide componenda medium teneret cursum inter veteres poetas et neotericos, nemo demonstravit melius Nordeno.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

# Vita.

Clemens Martinus Guendel, Dresdae natus sum a. d. VI. Kal. Sext. a. MDCCCLXXXIV patre Julio Albino, matre Sophia Helena e gente Zeissleriana oriunda; fidei addictus sum evangelicae.

Primis literarum rudimentis postquam imbutus sum, ab a. MDCCCXCIV per IX annos frequentavi gymnasium Dresdense, cui Scholae crucis nomen est. undevicesimo aetatis anno nondum peracto maturitatis testimonio exstructus Lipsiam me converti, ut in hac universitate literarum philologiae operam meam navarem.

Docuerunt me viri illustrissimi: de Bahder, Brugmann, Dittrich, Gardthausen, M. Heinze, Hofmann, Immisch, Lipsius, Martini, Marx, Schneider, Schreiber, Schulz, Sievers, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth, Wundt, quorum ex numero Schneiderum et Wachsmuthium mortuos esse summo afficior dolore.

Proseminarii sodalis fui Immischio moderante per tria semestria, Martinio per duo, de Bahdero unum, seminarii philosophorum M. Heinzio moderante unum semestre.

Quibus omnibus viris et Rich. Heinzio, qui mihi huius commentationis suasor fuit, gratiam habeo quam maximam.

Mense Ianuario huius anni facultatem in scholis docendi rite adeptus in gymnasium reale vici Blasewitz praeceptor probandus missus sum.